Two Roberts and Peter of Spain. Excerpts from the Vatican and Todi Commentaries

Irène Rosier-Catach & Sten Ebbesen

In 1969 L.M. de Rijk[1] described two closely related 13th-century commentaries on Peter of Spain's *Summulae* or *Tractatus*, found in mss *V* = Biblioteca Apostolica Vaticana, Vat. lat. 3049, ff. 1-81, and *T* = Todi, Biblioteca Comunale, 54, ff. 1-56v, respectively, and both ascribed to some "R(obertus) Anglicus."

At the 12th European Symposium on Medieval Logic and Semantics that took place in Pamplona in the month of May 1997 we presented the results of our joint research on those two commentaries. Our conclusions will be available in print when the acts of that symposium appear. Suffice it to mention the following: (1) As already surmised by De Rijk, the two commentaries are probably Montpellier products. (2) In spite of much shared text they must be treated as two works rather than as two variants of one work. (3) They do not have the same author. (4) Neither author can be plausibly identified with any of the other persons known as 'Robertus Anglicus', at least not with any of those by whom we have works in the fields of logic or grammar. (5) Although the two commentaries can scarcely be counted among the finest products of their times, they do show an interest in and a grasp of some of the problems that occupied the brightest brains of their century.

To prove our points in our forthcoming article we need to be able to refer to considerably more text than published in De Rijk's paper. For this reason we publish the following excerpts. They were selected on the basis of their relevance to our paper rather than on other merits — thus some of the more entertaining passages were not included!

We have made no attempt to produce a proper critical edition. In the case of the Vatican commentary this would be an immense work because the text is in a terrible condition having been maltreated by a scribe with no understanding of the subject matter. In the case of the Todi commentary we have understood that a proper edition is being prepared, but

1. Rijk, L.M. de. 1969. 'On the Genuine Text of Peter of Spain's *Summulae logicales* III', *Vivarium* 7: 8-61.

we have not managed to contact the editor. What we present is a transcription with some emendations. When the two mss share a passage we have in most cases collated them with one another and print the passage only once, but the apparatus is not always complete in such cases. We generally provide no information about *ante correcturam* readings that we have rejected.

The orthography is ours, and so is the punctuation and the paragraphing. The italicized numbers that precede some arguments are editorial additions. We use parentheses etc. as explained on p. 132 in this issue of CIMAGL. Further, notice the following conventions:

<7.2>	= (Commentary on) Peter of Spain, *Tractatus* 7, ch. 2, ed. De Rijk (Assen: Van Gorcum 1972).
<= T 12vA>	= This text also occurs in ms *T*, at f. 12vA.
<- T>	= We have not found this text in *T*.
<≠ T>	= *T* has a relevant, but different, text.
<Cf. T>	= There is a somehow similar passage in *T*.
[../T7vA/..]	= We jump to a text that begins on f. 7vA of ms *T*, but not at the very top of the column.
(!)	= *sic!*

Robertus Anglicus
Compilatio supra Tractatus Petri Hispani
V = Vat. lat. 3049

[../V 3vA/...]

<Cf. T 2rA> Secunda quaestio potest esse, utrum[1] logica debeat praecedere grammaticam.

Et videtur quod sic, quia logica considerat significationes vocum, sed grammatica modos significandi. Sed prior est significatio quam modus significandi. Ergo prior est dialectica quam grammatica.

Item ad idem. Significata dictionum priora [similiter] sunt quam accidentia; logica considerat significata et grammatica accidentia; ergo logica debet praecedere.

Sed contra. Grammatica considerat generalia significata vocum, logica vero specialia. Sed generale ante speciale. Ergo grammatica ante logicam.

Solutio. Dicendum est, sicut tactum est in naturalibus, quod dialectica et grammatica possunt dupliciter considerari, aut in via scientiae secundum quod sciuntur, et sic logica prior quam grammatica, cum nulla scientia complete sciatur sine logica, auctoritate Augustini; et sic procedunt argumenta. Alio modo possunt considerari in via doctrinae et sic grammatica prior est logica. Discipulus enim recipiendo doctrinam primo debet addiscere grammaticam, postea logicam. Et nota quod logica potest dupliciter considerari, aut in se aut in comparatione ad aliud. Si in se, sic habet fieri ex probabilibus; si in comparatione ad aliud, scilicet ad conclusionem, sic habet fieri ex necessariis.

<1.17> SONUS EST VOX [../V 3vB/..]

Ad maiorem evidentiam huius lectionis est notandum quod quadruplex est causa vocis: causa efficiens, materialis, formalis et finalis. Causa efficiens est duplex, scilicet principale agens, ut anima, secundarium agens ut instrumentum, sicut dentes, labia, et huiusmodi. Causa materialis est aer. Causa formalis est reverberatio aeris in ore. Causa finalis est ut homo exprimat alteri quod est apud se, ut vult Plato in Timaeo: ad hoc sunt sermones inventi ut praesto fiant mutuae voluntatis indicia.[2] Item dicit ipse Plato quod triplex est vox. Est vox sumpta per se et proprie ut <in> homine[3], et vox sumpta minus proprie ut in animalibus brutis ut in pica, et est vox minime propria ut in instrumentis. Unde sicut faber est principale agens et malleus instrumentum, ita in hac parte anima est principale.

Secundo notatur quod sonus fit ex repercussione aeris ad latera superficiei corporis solidi, unde(?) corpora solida maxime contacta faciunt sonum propter repercussionem fortiorem aeris ad latera et tremorem continuum corporis talis.

Tertio notandum quod quinque sunt condiciones necessariae ad hoc quod vox sit significativa, silicet aeris inspiratio, aeris inspirati subtiliatio, aeris sutiliati expulsio, aeris expulsi completa reverberatio in ore, aeris reverberati in aures audientium dilatatio, ad rem significandum impositio, et hoc quod sit cum imaginatione significandi.

---

1. unde] utrum V.
2. voluntatis indicia] vocis in dy(alecti)ca V.
3. homine] homo V.

Item nota quod est differentia inter voluntatem et ad placitum, quia voluntas incipit ab intra, terminatur ad[1] [in] extra. Placitum vero econverso, et quia in impositione nominis incipiebat motus animi /V 4rA/ ab extra terminabatur intra, ideo dicitur vox significativa ad placitum et non ad voluntatem. Vel aliter quod voluntas dicitur sine aliqua ratione praevia, unde dicitur de aliquo fatuo homine 'Ille homo est propriae voluntatis'; sed ad placitum dicitur esse ratione praevia, unde illi qui imponebant voces ad significandum habebant primo aliquam rationem.

Quinto notandum quod sonus differenter consideratur a naturali, a logico, a grammatico et a musico. Consideratur enim a logico prout est principium vocis significantis, a lo<gi>co quidem loquendo de significato speciali, a grammatico loquendo de significato generali, a naturali prout immutat sensum auditus, a musico prout generat melodiam.

Item notandum quod vox dicitur significare multis modis, uno modo quod vox significat se ipsam et hoc modo potest omnis vox significare. \Alio modo potest significare se nihil significare, et sic voces non significantes [non] significant./ Alio modo per impositionem, et sic proprie meretur vox dici significativa. Sed ipsa impositio est tribus modis: alia ad rem aliquam, alia ad circumstantias aut ad habitudines rerum ut in partibus indeclinabilibus, aut privationes rerum ut 'nullus' 'neuter' etc. Unde sonus est principium vocis, vox principium dictionis, et dictio principium orationis.

Item nota quod duae sunt condiciones ad hoc quod sonus vox habeat formari, scilicet aeris repercussio et soliditas corporis, quia si non esset soliditas corporis non esset sonus. Unde si percutiatur lana cum lana non est sonus. Si vero lapis cum lapide tunc est. [...]

Item, nota quod ad vocis generationem haec necessaria requiruntur. Primum /V 4rB/ oportet quod ipsum animal aerem †infrigidant† respiret. Secundum est quod aerem respiratum per calorem corporis subtiliet. Tertium est per aerem subtiliatum per calorem cordis emittat usque ad radicem linguae \per tracheam arteriam. Quartum est quod ..um aerem ad radicem linguae/ emissum complete figuretur per naturalia instrumenta et postquam aere fuerit f[r]iguratus et placuerit animali vocem exprimere, oportet ultimo quod illum aerem sic figuratum expellat et illa figura sic in ore formata postquam est expressa ab ore invenerit aerem †contrahi† et generat sibi similem naturam continue donec venit ad aures audientium et tunc cum a parte audientium in quolibet animalium sint duo nervi concavi a cerebro descendentes, unus a[d] dextris et alius a sinistris, quasi nuntii[2], †intelligunt† percipiunt illam vocem, inde intellectus percipit rem vel speciem per vocem significativam. Unde habetur in libro Fontis vitae: Signum est quod se offert sensui a\liu/d intellectui[3] derelinquens.

Circa istam lectionem quaeritur utrum aliqua vox sit significativa et ostenditur quod non et hoc tali ratione.

1. Unum oppositorum non potest significare alterum. Sed voces et res sunt oppositae, quia nomina sunt finita, ut dicit Aristoteles in Elenchis, res vero infinitae. Ergo nullum nomen potest significare rem.

---

1. ad] ab V.
2. nuntii] muncii V.
3. intellectui] intellectum V.

2. Item ad idem. Si vox significaret aliquid homo sciret aliquid. Sed homo nescit aliquid,[1] ut probabo ergo etc. Quod homo nesciat aliquid probatio: quia si homo sciret aliquid scientia esset eius perfectio, quia scientia est perfectio scientis, ut vult Aristoteles in XI Metaphysicae, et omnis perfectio nobilior est suo perfectibili; ergo scientia est nobilior homine; quod falsum[2] est, ergo etc.; ergo et primum.
3. Item ad idem anima non potest intelligere aliquam rem, ergo nec vox potest significare, quia quod non contingit intelligere non contingit significare. Et quod anima non possit intelligere aliquam rem probatio, quia scribitur ab Aristoteles XI Metaphysicae quod in agente immateriali idem est intelligens et quod intelligitur; sed anima est agens immateriali<s>; ergo illud quod intelligitur ab anima est idem cum anima; /V 4vA/ sed nulla res alia ab anima est idem cum anima, ergo nulla res alia ab anima potest intelligi ab anima.
Solutio.[3] Dicendum est quod vox significat aliquid, unde sciendum quod triplex est unio, scilicet personalis, realis et intellectualis. Vox non unitur cum significato realiter nec personaliter sed intellectualiter; et dicitur unio intellectualis quando sicut est in signo, sic est in significato, ita quod homo posset intelligere significatum per signum.
<*Ad 1*> Ad argumentum primum est dicendum quod in forma arguendi est fallacia accidentis. Tamen aliter potest dici quia nomina finita, res sunt infinitae quoad nos,[4] non tamen quoad naturam.
<*Ad 2*> Ad aliud dicendum quod homo dupliciter potest considerari aut in quantum est homo per se, et sic scientia non est eius perfectio, aut in quantum est sciens et sic scientia est eius perfectio.
<*Ad 3*> Ad ultimum scilicet dicendum quod "in agente immateriali idem est intellectus et quod intelligitur", haec propositio habet intelligi <de> immateriali increato[5] cuiusmodi[6] est deus, et non de anima.

Secunda quaestio est utrum vox animalis bruti sit vox significativa dato quod proferat \eandem vocem quam faceret homo, ut si pica proferat/ istam vocem quae est 'homo', utrum sit vox significativa proprie.

Dico quod ad hoc quod vox sit significativa duo sunt necessaria, quod moveat intellectum audientis et proferatur cum intentione proferentis, dico quod pica movet intellectum audientis et non profert cum intentione proferentis, et sic est vox significativa improprie, unde sicut dicit Aristotelis in secundo de Anima, omnis vox profertur cum imaginatione significandi. Ex hoc arguo sic: Omne illud quod profertur cum imaginatione significandi est significativum, ideo omnis vox est significativa.

Item, dicit Boethius, omnis vox est sonus cum imaginatione significandi prolatus. Ergo illud quod est cum imaginatione significandi prolatum est significativum.

Dicendum est quod Aristoteles et Boethius intelligunt de voce humana et non de alia voce.

---

1. aliquid — aliquid — aliquid] aliud — aliud — aliud V.
2. falsum] factum V.
3. solutio] secundo V.
4. nos] duos V.
5. increato] increata V.
6. cuiusmodi] huiusmodi V.

Item, dicit Aristoteles in libro Perihermeneias: soni illiterati designant et significant.

Item ad idem. Voces significant similitudines quae sunt in anima. Sed in anima bruti non sunt similitudines rerum, cum non habeant intellectum vel imaginationem. Ergo brutum non potest proferre vocem /V 4vB/ significativam.[1]

Ad oppositum. Vox significativa est illa quae auditui aliquid repraesentat, sed vox bruti est huiusmodi ergo etc.

Solutio. Et primo ad primum. Quando dicit Aristoteles "soni illiterati etc.", ipse intellexit de significatione naturali, et respondendum est ad corpus quaestionis, quod non omnis vox est significativa, quia non omnis circulus demonstrat sive dat mihi intelligere tabernam, sed circulus positus in loco debito.[2]

Ad aliud dicendum quod ad hoc quod proprie vox significet ad placitum oportet quod anima moveatur vel excitetur ab aliquo extrinseco et †exitus efficiatur tali motu ut exitum† prorumpat in sermonem indicantem aliquem affectum. Istae vero condiciones non possunt reperiri in bruto cum anima bruti non afficiatur nisi in speciebus sensibilibus aut condicionibus materiae nondum omnino denudatis et ideo vox bruti proprie non est significativa ad placitum.

Item quaeritur utrum vox sit corpus aut non. Et videtur quod sic. [...]

Solutio. Dico quod vox potest dupliciter considerari: aut materialiter aut formaliter. Dico ergo quod materialiter vox est corpus cum sit aer eius materia et sic procedunt tria argumenta prima; si formaliter, sic est [ae]qualitas et non corpus, et sic procedunt duo argumenta ultima. [../V 5rA/..]

Item quaeritur utrum 'buba' sit vox significativa et videtur quod sic, quia 'buba' significat derisionem et derisio est aliquid, ergo significat aliquid.

Ad hoc dicendum quod 'buba' non est vox significativa, quia non imponitur ad significandum aliquam rem. Unde dicendum ad argumentum, quando dicitur "significat derisionem, ergo etc.", non sequitur, immo est fallacia ibi secundum quid et simpliciter.

Item omnis vox est qualitas, omnis qualitas est ens, omne ens est res, omnis res ut vult Aristoteles in libro Peri hermeneias est eadem apud omnes et illud quod significat est a natura. Ergo omnis vox est a natura. Ergo eadem significat[3] a natura.

†in primo† si vox consideretur secundum substantiam sui sic est eadem apud omnes, si vero prout significat sic, non est eadem apud omnes, quia haec vox 'homo' in Latinis significat aliquid, in Hebraeis vel Graecis nihil.

Item videtur quod omnis vox sit significativa naturaliter et hoc sic: Lingua †consistit in duo opera† naturae, ut vult Aristoteles, idest in gustu et loquela. Ergo cum vox sit loquela, videtur quod sit a natura et videtur quod significet naturaliter.

Item ad idem. Dicit[4] Plato in Timaeo quod omne instrumentum ad aliquid †computatum postquam† est ordinatum ad significandum; ergo significabit naturaliter.

Solutio. Dico quod vox quaedam significat naturaliter, quaedam ad placitum.

---

1. significativam] significandi V.
2. loco debito] locum debitum V.
3. significat] sicut V.
4. dicit] cum V.

Et respondeo ad primum argumentum quod lin<gua> etc.: dico loqui est a natura, tamen loqui sic vel sic, illud est est ad placitum[1] ut loqui Latinum et Romanum vel sic vel sic.

Ad secundum dicendum quod duplex est instrumentum: artis et naturae. Unde dico quod illa[m) regula[m] quam dixit Plato intelligitur de instrumento naturae, non autem artis, ut patet in oculo: postquam videt virtus visibilis operatur per oculum ut exer/V5rB/cet suum opus naturaliter; non autem intelligitur de instrumento artis, et sic patet. Item, fragor arborum dicit, arbores sunt corpora innanimata, sed illud quod habet animam vegetativam est animatum, arbores sunt huiusmodi, ergo etc. Auctor intelligit de anima sensitiva vel rationali; arbores autem carent istis; ergo etc.

Item quaeritur cuius sit imponere voces ad significandum aut grammatici aut metaphysici.

Et quod sit grammatici, hoc prob[ati]o: Illius est imponere voces ad significandum cuius est considerare significat[iv]a et proprietates et modos significandi[2]; sed grammaticus est huiusmodi; ergo etc.

Sed quod metaphysici sit imponere voces ad significandum \probatio, quia illius est imponere voces ad significandum/ cuius est considerare proprietates et rerum essentias ad quas vox imponitur; sed metaphysicus <est huiusmodi>; ergo etc.

Solutio. Dico quod uterque istorum potest imponere voces ad significandum, unde imponens debet esse et metaphysicus et grammaticus; et si fiat impositio ratione modi significandi sic est grammatici, si quantum ad proprietates et essentias sic est metaphysici.

<1.4, 2: 12> NOMEN EST VOX [...]

Expone sic litteram: nomen est vox, †primo nomen sumitur[3] ut excludantur nomina secundum quid in sua communitate considerata,† sign<ificativ>a alicuius entis completi vel deminuti apprehensibilis ab anima privative vel positive, ad placitum ante eius impositionem, sine tempore (supple: consignificato), cuius nulla pars extra significat separata actu, finita, recta, ... nomen est tale. Et similiter expone definitionem verbi.

Circa istam lectionem notan/V 5vA/dum est primo quod nomen dicitur significare quattuor modis. Aut quando significat res veras, ut 'homo'; aut modum rei, ut 'omnis' 'nullus'; aut figmentum ut est 'chimaera' et 'hircocervus'; aut privationem ut 'nihil'.

Item nota quod voluntas humana se habet in triplici genere respectu impositionis nominum, in genere causae efficientis, causae formalis, et causae finalis. Prima importatur per hanc praepositionem 'per'; secunda per hanc praepositionem \'secundum'/; tertia per hanc praepositionem 'ad'. Unde bene dicitur "nomen est vox significativa ad placitum" vel "per placitum" vel "secundum placitum", diversimode tamen, sicut iam patet.

Item nota quod differenter consideratur nomen a grammatico et a logico. A grammatico prout est principium congruitatis et incongruitatis, a logico prout est principium veritatis et falsitatis. [...]

---

1. placitum] placidum V.
2. significandi] significativorum V.
3. sumitur V *p.c.*] supple V *a.c.*

<Cf. T 2vB> Item. Notandum quod duplex est significatum in nomine, scilicet generale et speciale. Generale, ut significare substantiam cum qualitate, et sic consideratur a grammatico. Speciale, ut significare hanc[1] rem vel illam rem. Et sic consideratur a logico.

Item nota quod vox dupliciter potest considerari: aut secundum quod est pars nominis, et sic nomen est vox; aut secundum quod communiter se habet ad hoc nomen et ad illud, et sic genus nominis est vox.

Item notandum quod omnis impositio nominis est in recto casu et nomen obliquum non est rectum, ideo nomen obliquum non est nomen secundum dialecticum.

Item nota quod duplex est tempus: significatum et consignificatum. Significatum ut dies et nox, consignificatum sicut in verbo, et ita verbum habet tempus pro \con/-significato, /V 5vB/ i.e. pro[2] accidente, et nomen pro \con/significato, ut dies et nox.

Item ipse dicit in littera "cuius nulla pars per se significat separata". Sed ego video quod 'respublica' est nomen et partes eius significant scilicet 'res' per se, et 'publica' per se, et propter hoc nota quod duplex est compositum: actu et potentia. Si potentia, sic partes significant separatae; si actu hoc dupliciter: aut prout est in toto, aut prout est extra totum. Si in toto, sic partes non significant. Si extra totum, sic significant.

<Cf. T 3vB> > Item. Nota differentiam inter congruitatem et incongruitatem, perfectionem et imperfectionem, veritatem et falsitatem. Unde congruitas et incongruitas est ex debita vel indebita ordinatione dictionum vel accidentium et modorum significandi, ut 'Socrates est albus'. Et est incongruitas accidentium ut 'vir alba'. Unde hic potest fieri cavillatio talis: nulla oratio est incongrua <cuius> accidentia sunt convenientia; sed cum dico 'omnis Socrates currit', ista conveniunt in accidentibus; ergo est congrua. Unde notandum quod non solum conventientia accidentium sufficit sed oportet quod ibi sit debitus modus significandi, quia 'omnis' est nomen dividuum, et 'Socrates' individuum; sed dividuum et individuum sunt modi significandi oppositi; ideo etc.

Item. Perfectio et imperfectio provenit ex debita \vel indebita/ ordinatione dictionum <scilicet> suppositi[3] cum apposito, ut 'Socrates legit'.

Item, veritas et falsitas provenit ex convenientia et disconvenientia specialium significatorum, ut '<homo> est albus' et 'homo est asinus'.

Item nota quod tria sunt principia facienda in oratione. Primo quod casus rectus adiungatur modo finito in verbo ut 'Socrates legit', et casus obliquus modo infinito ut 'Socratem legere est verum'. Secundo ut numerus cum numero ut 'Socrates legit'. Tertio quod persona cum persona.

Unde notandum quod bene sequitur 'si incongrua, nec vera nec perfecta, †ut homo albus†; si[4] imperfecta, ergo congrua nec vera ut 'homo albus';[5] si vera, ergo congrua et perfecta, sed non econverso, ut 'homo est animal', quia non sequitur quod si sit perfecta quod sit vera, ut 'homo est asinus', nec si sit congrua ut 'homo albus'.

---

1. hanc] habeat V.
2. pro] per V.
3. suppositi] suppositum P.
4. si] scilicet V.
5. homo albus] homo est asinus V.

Item, veritas et falsitas habent tripliciter esse, sc. in anima et in rebus et in propositione. In anima ut in subiecto, in rebus ut /V 6rA/ in causa (quia dicit Aristoteles quod ab eo quo res est <vel non est oratio dicitur vera vel falsa>), in propositione ut[1] in signo. [...]

Quaeritur utrum nomen obliquum secundum dialecticum sit nomen.

Et ostendo quod sic, quoniam logicus considerat significatum speciale dictionis; sed idem est significatum in recto et in obliquo; ergo sicut rectus est nomen, ita et obliquus debet esse nomen.

Item. Omne nomen imponitur a forma ad significandum; sed eadem forma significat rectum sicut et obliquum; ergo etc.

Item ad idem. Quod constituit veritatem cum verbo in oratione est nomen quoad dialecticum; sed nomen obliquum est[2] huiusmodi, dicendo sic: 'audio lectionem'; ergo nomen etc.

Solutio. Nomen potest dupliciter(!) considerari: aut quoad significationem generalem, quae est significare substantiam cum qualitate; aut quoad significationem specialem, ut 'homo' vel 'lapis', aut quoad modum significandi accidentalem, qui est accidens partis, ut species nominis, aut quoad modum significandi specialem qui est in recto, qui est significare substantiam in ratione causae materialis et in ratione suppositi respectu actus. Primis tribus modis nomen obliquum est nomen, et est nomen sicut rectus. Ultimo modo solum rectum est nomen, quia solum logicus appellat nomen[3] aliquid quod potest reddere suppositum, †tamen[4] hoc a parte† in ratione principii vel causae materialis, cuiusmodi est rectus.

Ad primum argumentum dicendum quod quamvis in recto et obliquo sit idem significatum speciale, tamen non est idem modus significandi specialis, ut iam patuit.

Ad secundum, quod quamvis sit eadem forma in recto et obliquo, tamen diversimode se habet, ut dictum est.

Ad tertium dicendum est quod sic dicendo: 'audio lectionem meam' ibi est veritas ratione recti casus pronominis intellecti in verbo, scilicet huius quod dico 'audio', non autem est veritas a parte praedicati.

Item quaeritur utrum partes nominis, scilicet syllabae et litterae, significent aliquid. Et /V 6rB/ ostendo quod sic, quia dicitur in primo Peri hermeneias quod litterae et syllabae significant vocem, sed vox significat aliquid ergo litterae et syllabae etc.

Item sicut se habent partes ignis ad ignem vel carnis ad carnem, sic se habent partes significat<iv>i nominis ad nomen significat<iv>um; sed quaelibet pars ignis est ignis et carnis est caro; ergo quaelibet pars significat<iv>i est significativa.

Item in omnibus compositis nominibus, ut videtur, partes significant, ut in hoc nomine 'respublica', ergo etc.

Solutio. Dicendum quod partes nominis non significant per impositionem et de tali significatione loquimur hic.

---

1. ut] et V.
2. obliquum est *De Rijk*] est obliquum V.
3. nomen] nomina V.
4. tamen] *vel* et non V.

Et per hoc patet responsio ad primum, quia litterae et syllabae non sunt significativae vocum per impositionem.

Ad secundum dicimus quod non est similitudo bona, quia[1] ignis est totum homogeneum[2] quia est eiusdem naturae in toto et in partibus, sed aliquid est totum heterogeneum quod non est eiusdem naturae in toto et[3] in partibus, ut significativum.

Item nota quod duplex est tempus: significatum ut nomen annus dies nox et huiusmodi; a<liu>d consignificatum, tale importatur per verbum et non per nomen, quia non accidit nomini tempus sed verbo.

Sed videtur quod tempus accidat nomini quia quod potest in maiori potest in minori. Nomen potest in minori quia in tempore significato, quare poterit in tempore consignificato. Ergo habebit tempus pro accidente.

Item nihil habet effectus nisi a sua causa. Sed nomen est causa verbi, quia substantia est causa accidentis, quare[4] si habet tempus habebit a nomine; quare nomen consignificabit tempus.

Solutio. Dico quod nomini non accidit tempus.

Ad primum respondeo. "Quicquid potest in maiori etc.", dico quod non valet, quia licet ista duo possint esse unum, non tamen ita est impositio in comparatione ad nomen vel ad istud tertium, quoniam unum, scilicet significatum, non convenit nomini †quia non est sic.†

Ad secundum. "Nihil habet effectus etc.": verum est, essentiale tamen bene potest aliquid habere accidentale, ut tempus; quare[5] non valet.

Item videtur significatum non possit praedicari de nomine quia significatio est forma dictionis. Modo arguo: nulla forma praedicatur de sui materia, sed significatio est forma vocis vel nominis ergo etc.

Solutio. Et dico: quod forma non praedicatur de materia, verum est — in abstractione.

Item videtur quod nomen non sit /V 6vA/ significativum, quod dicit Aristoteles, ex non quantis non fit quantum nec ex non substantiis [non] fit substantia. Ergo ex non significat<iv>is non fit significativum. Sed litterae et syllabae non sunt significativae ergo non constituunt aliquod nomen significativum, ergo etc.

Solutio. Ista propositio "ex non quantis etc." habet intelligi "ex \non/ quantis nullo modo quantis", similiter "ex non significativis nullo modo significativis aut actu aut potentia"; sed litterae sunt aliquo modo significativae, quoniam in potentia licet non in actu.

Item, videtur quod non omne nomen sit significativum, quoniam 'chimaera' aut significat rem extra animam aut in anima; non significat rem extra animam (hoc patet), nec significat in anima (quoniam dicit Aristoteles quod nihil est in intellectu nisi prius fuerit in sensu, sed chimaera non est in sensu); ergo etc.

---

1. quia] quod V.
2. homogeneum] omigeneum V.
3. naturae in toto et] nec in toto nec V.
4. quare] quia V.
5. quare] \quod/ V.

Item, cum dico 'Caesar', aut significat rem extra animam aut rem in anima; non significat rem extra animam, quia non est; item non est in anima, quia illud quod est in anima est similitudo rei extra, sed Caesar non est, ergo similitudo illius non erit in anima; <ergo etc.>.

Solutio. Dico quod omne nomen significat \ad/ placitum.

Ad oppositum dico quod chimaera non est in anima et significat in anima. Sed quando tu dicis quod non est in abstractione <in> intellectu: aliquid potest esse in intellectu duobus modis: aut per receptionem specierum aut sine receptione. Si primo modo, verum est quod nihil est in intellectu etc. Si secundo modo, sic non tenet.

Ad secundum dico quod 'Caesar' non significat <rem> in anima, sed extra. Sed non valet si significet extra animam quod significet extra se. Ergo etc.

Item, quaeritur quid sit causa efficiens propositionis.

Dicendum quod anima, quia anima primo apprehendit aliquam rem simplicem, scilicet hominem et alias res diversas, scilicet animal et lapidem, et cogitat et deliberat utrum convenia<n>t vel disconvenia<n>t. <Si conveniunt>, sic facit propositionem affirmativam dicendo sic: 'homo est animal'. Si disconveniunt, sic facit propositionem negativam dicendo sic: 'homo non est lapis'.

Item quaeritur utrum si anima non esset, <esset> propositio.

Et videtur quod non quia destructa causa destruitur effectus; sed anima est causa efficiens propositionis; ergo etc.

Sed contra. Posito quod anima non sit, haec est vera 'anima non est'; ergo aliqua propositio erit quamvis anima non sit.

Dicendum breviter quod non est verum [quare] quia non esset ali/V 6vB/quis qui pronuntiaret istam [animam] propositionem, sc. 'anima non est'; ergo non valet obiectio falsa.

Item, nota quod grammaticus definit nomen et verbum per partes orationis, quia considerat ea prout sunt constructibilia, et \cum/ pars orationis sit pars constructionum secundum Priscianum, ideo definit nomen et verbum per partes orationis. Logicus autem definit nomen et verbum per significare, quia in oratione significat verum, et intentio logici est determinare de vero et falso; ideo etc.

<1.5> VERBUM EST VOX ETC. [...]

Circa istam lectionem quaedam sunt notabilia. Primo quod tempus uno modo est mensura motus, alio modo est proprietas dictionis prout significat rem prout in fieri et sic est accidens verbi.

Secundo notandum quod duplex est compositio in verbo: una quae est actus verbi [quae est] cum substantia extrinseca, ut 'homo currit', et i<s>ta compositio negatur in verbo; alia est compositio in verbo intrinseca, ut \est/ in \hoc/ verbo 'currit' "homo est currens", et ista compositio infinitatur, ut 'homo est non currens'. Et sic patet differentia inter verbum negativum et infinitum.

Aliud est quod verbum dicitur multis modis. Uno modo idem est quod dictio, ut 'ego non dixi nisi unum verbum', †ad†[1] idem est quod nomen. Alio modo idem est

1. ad] et sic *vel sim. scribendum esse videtur.*

quod filius dei, ut "Verbum caro etc.". Alio modo a verberatu aeris et sic per excellentiam dicitur una pars orationis.

Item nota quod verbum dicitur infinitum duabus de causis, primo quia †impositio† privatur actus specialis et non proponitur aliquis actus certus, ut non currit, hoc est sedet vel ambulat, vel aliquid aliud agit; alio modo dicitur infinitum quia indifferenter se habet ad ens \et ad non ens,/ ut 'homo mortuus non currit' 'Caesar mortuus non currit'.

Item nota quod verbum infinitum non est verbum quia omne verbum significat agere vel pati; verbum infinitum privatur nem> agere vel pati; ideo non potest esse verbum secundum dialecticum.

Similiter, quia omnis impositio est ratione temporis praesentis, et verbum obliquum /V 7rA/ non est praesentis temporis, ideo etc.

Item, nota quod verbum obliquum habet in se naturam praesentis temporis et praeteriti et futuri. Unde regula est quod omne verbum potest resolvi in verbum substantivum et eius participium, ut 'currebat' id est "currens erat". Unde quantum ad naturam praesentis facit veritatem in oratione et est verbum, alio modo non. [...]

Item, vox significativa dicitur tribus modis. Uno modo vox significativa significat se ipsam; ergo significat aliquid. Secundo modo vox significat se nihil significare ut 'baf', quia potest significare aliquid et non aliquid. Tertio per impositionem, et hoc tribus modis. Aut per modum rei, aut rem veram, aut per modum privationis. Si per modum rei, sic sunt partes indeclinabiles, ut praepositiones[1], adverbia. \Si/ significe[n]t rem veram, hoc dupliciter: aut significa[n]t rem successivam aut rem permanentem. Si rem successivam, sic est verbum. Si rem permanentem, sic est nomen. Si per modum privationis, sic sunt nomina negativa, ut 'nemo', 'nullus'.

<≠ T> Item. Tempus dicitur quinque modis. Primo idem est quod temperies, idest dispositio aeris; unde dicitur: modo est clarum tempus. Alio modo tempus definitur ab Aristotele: tempus est mensura motus rerum mutabilium. Alio modo idem est quod significatum dictionis, ut 'dies', 'mensis'. Alio modo idem est quod accidens; et de tali loquitur in haec parte.

Item, infinitum dicitur duobus modis. Uno modo idem est quod non habens finem, ut mundus est infinitus, i.e. non habens finem. Alio modo idem est quod 'incertus', et hoc tribus modis: aut ratione qualitatis, et sic sunt pronomina; aut ratione substantiae, et sic sunt adiectiva, ut 'album'; a<ut> ratione utriusque, et hoc duobus modis: aut per modum habitus vel positionis, ut est 'quis' vel 'qui' secundum grammaticum; aut per modum privationis, et sic est 'non homo' apud logicum, quia si dicatur 'Quis currit?' et dicam 'Non homo' tantum valet dicere quantum 'omne aliud ab homine currit'.

Item nota quod verborum quaedam sunt in/V 7rB/finitae inc[de]linationis et talia non faciunt ad perfectionem orationis nec ad veritatem, unde i<s>ta 'Socratem currere' nec est vera nec perfecta, alia autem sunt finitae in[de]clinationis, et horum quaedam sunt quae supra finitam inclinationem habent assertionem superadditam, sicut verba indicativi modi, et talia <ratione> suae[2] infinitae inclinationis faciunt orationem perfectam, ratione suae assertionis faciunt orationem veram. Alia sunt verba

1. praepositiones] propositiones V.
2. suae] sunt V.

quae suae inclinationi finitae non habet assertionem supraadditam, et talia ratione finitae inclinationis faciunt ad perfectionem non tamen ad veritatem quia care<n>t assertione certa qua habetur veritas et falsitas, et talia verba sunt imperativi modi, optativi et coniunctivi. Et sic patet quae verba faciunt ad veritatem et quae non, et quae ad perfectionem et quae non, quia non facit mentionem de oratione infinita.

Nota quare "ad placitum" melius ponitur in accusativo casu quam in ablativo. Unde notandum est quod accusativus significat[1] terminum localem, ut cum dico 'vado ad ecclesiam' ecclesia est terminus meus et ista praepositio[2] <'ad'> significat habitudinem termini finalis, quare melius 'placitum' ponitur in accusativo casu quam in alio.

Nota quare melius dicitur "cum tempore" quam "cum modo", et grammaticus dicit "cum modo".

Sciendum quod duplex est accidens: quoddam quod accidit verbo per se et absolute, et tale accidens est tempus secundum logicum; et est aliud accidens quod accidit verbo in comparatione ad aliud et tale est modus, unde modus est varia inclinatio animi varios eius affectus demonstrans.

Item nota quod duplex est tempus, scilicet mensura motus etc., et de tali non loquimur hic; et est aliud tempus quod se habet [fieri] per modum fieri et transitus, et de tali loquimur hic.

Nota quod duo sunt in verbo, sc. res verbi et compositio rei. Res verbi dicitur esse nominativus intellectus in ipso verbo. Compositio rei dicitur esse triplex: compositio qualitatis cum substantia, et talis[3] est in nomine; et compositio actus uniti[4] cum substantia, et talis est in participio; et compositio actus distantis cum[5] substantia, et talis est in verbo, et hoc dupliciter: aut[em] a parte substantiae extrinsecae et sic est verbum negativum, /V 7vA/ ut 'homo non currit', aut a parte substantiae intrinsecae et sic est verbum <infinitum>, ut 'non currit' idest "non fit cursus".

Quaeritur utrum verbum infinitum sit verbum.

Et videtur quod non, quia omne verbum significat agere vel pati; sed verbum infinitum non significat; ergo etc.

Ad hoc dicendum quod impositor nominum ponebat nomina rebus praesentialiter, et propter hoc dialecticus solum dicit praesens tempus esse verbum.

Item, ad intellectum ultimae partis sciendum quod significatio dicitur duobus modis. Uno modo est accidens partis, et sic dictiones consignificativae non dicuntur consignificare. Alio modo consignificatio idem est quod "cum alio significatio", et sic est ibi in Littera.

Item, nota quod duo sunt in verbo, sc.[6] res verbi et compositio. Res verbi dicitur nominativus intellectus. <Sed nominativus intellectus dicitur duobus modis. Uno modo est nominativus intellectus> in prima et secunda persona, et talis nominativus reddit

1. significat] significans V.
2. praepositio] propositio V.
3. talis] tale V.
4. uniti] uni()ti V.
5. cum] a V.
6. sc.] si V.

suppositum verbo. <Alio modo est in tertia persona nominativus intellectus in verbo>,[1] unde Priscianus: "inest autem nominativus intellectus" etc., et <talis> nominativus significat[2] actum verbi et habet exponi[3] cum hoc verbo 'fit' ut 'currit' idest "cursus fit", et talis nominativus non reddit suppositum verbo.

Item, compositio duplex est: intra et extra; extra unio verbi cum nomine ut 'Socrates currit'; intra res verbi <cum hoc verbo 'fit'>, ut 'currit' "cursus fit". Unde si addatur negatio compositioni extrinsecae, facit verbum negativum, ut 'Socrates non currit'; si addatur compositioni intrinsecae facit infinitum[4], ut 'non currit' id est "non cursus fit" †modo attribuo novam significationem†, quia si quis interrogaret 'Quid facit Guillelmus?' et ipse dicat 'Non currit', potest legere vel scribere. Unde notandum est quod omnia verba possunt infinitari praeter tria, scilicet verbum substantivum (ut 'non sum' istud verbum est negativum) et verbum vocativum (ut 'non vocor') et verbum ampliativum[5] (ut 'non contingit' et 'non prodest'); cetera omnia verba possunt infinitari, ut 'non currit' 'non legit' et sic de aliis.

<Cf. T 3rB> Item quaeritur utrum tempus sit accidens verbi.

1. Et ostenditur quod non. Quia cuicumque non accidit superius nec inferius, sed motus est superius quam tempus quia ubicumque est motus ibi est tempus et non e converso; Sed motus non accidit verbo; ergo nec tempus.

2. Item, nihil quod duxit originem a natura est accidens alicuius quod est humanae inventionis; sed tempus duxit originem a natura, verbum est humanae inventio/V7vB/nis; ergo tempus non accidit verbo.

3. Item ad idem. Quod non est in priori non est in posteriori; sed nomen est prius verbo et tempus non accidit nomini; ergo nec verbo.

Solutio. Tempus dupliciter potest considerari: aut prout est mensura motus et sic tempus est res naturae; aut secundum quod quidam est modus[6]intelligendi secundum quod est res in fieri, et sic tempus est accidens verbi.

<*Ad 1*> Unde ad primum dicendum quod secundum quod motus est prior tempore, sic non est accidens verbi, sed tamen secundum quod est quidam modus intelligendi rem est accidens verbi.

<*Ad 2*> Ad secundum dicendum quod eo modo quo tempus est mensura motus, non est accidens verbi, quod iam dictum est.

Ad idem, similiter, dico quod tempus secundum quod duxit originem a natura, sic est mensura motus, et sic non est accidens verbi; alio modo tamen bene accidit verbo.

<*Ad 3*> Ad idem dico quod est duplex prius: dignitate naturae, et sic nomen est prius quam verbum; alio modo est prius in consequendo et praedicando, et sic non est prius verbo et de tali priori intelligitur in regula hoc "quod <non> inest priori non inest posteriori."

---

1. *supplementa* Sed — intellectus *et* Alio — verbo *exempli gratia posita esse intelligas.*
2. significat] significans V.
3. exponi] componi V.
4. infinitum] infinitam V.
5. ampliativum] appellativum V.
6. modus] motus V.

Item quaeritur qualiter hoc verbum 'est' significet cum significet substantiam uniuscuiusque et ita non significet nec modum nec tempus.

Dicendum quod quamvis significet substantiam, significat tamen illam per modum motus et fieri, ad quem motum consequitur quedam proprietas intelligendi quae est tempus.

Plura autem alia possent quaeri, sed omnia soluta sunt per ea quae dicta sunt in notabilibus.

<1.6> ORATIO EST VOX. [...]

Nota quod ad hoc quod oratio sit perfecta requiritur ut per ipsam repraesentetur affectus animi finitus per verbum in illa oratione positum; et quia per modum finitum repraesentatur affectus finitus ipsius animi, cum modus sit inclinatio animi varios **/V 8rA/** eius affectus demonstrans, ideo oportet quod ad hoc quod oratio sit perfecta quod ibi ponatur verbum modi finiti. Si autem non ponatur tale verbum tunc vacillat intellectus cum non sit ibi per quod repraesentetur affectus finitus ipsius animi. Ideo tunc oratio est imperfecta, ut si dicatur 'homo albus'. Et sic patet quod non omnis oratio est perfecta.

Item nota quod aliquis posset obicere quare Auctor non facit mentionem de hoc quod dico "cum tempore" et "sine tempore" et "finita et recta" cum \in / nomine et verbo fecerat mentionem. Dicendum est quod quaedam sunt proprietates quae conveniunt toti ita quod non parti, ut 'tota domus valet centum marcas, ergo et paries' non sequitur; et sunt quaedam proprietates quae conveniunt parti et non toti ut 'paries est alba, ergo domus est alba' non sequitur; et sunt aliae quae conveniunt utrique ut cum dico 'domus est pulchra, ergo paries est pulchra' bene sequitur.

In hac parte sunt quaedam proprietates quae conveniunt toti et non parti ut partes in oratione separatae per se significant, ut 'homo currit', et partes separatae in nomine vel in verbo nihil significant; et sunt alia quae conveniunt parti et non toti ut "cum tempore", et "sine tempore", quia "cum tempore" ponitur in verbo, "sine tempore" ponitur in nomine, et "finita et recta"; et sunt quaedam quae conveniunt utrique, ut "vox significativa ad placitum".

Item quaedam sunt partes sunt propinquae in oratione ut dictiones, quaedam remotae ut litterae et syllabae.

Nota quod ista duo 'verum' et 'falsum' non ponuntur in definitione propositionis tamquam partes principales sed tamquam partes terminantes partem principalem. Et propterea possunt sumi in definitione per disiunctionem. Adhuc quamvis verum et falsum in se considerata accidant propositioni, tamen ipsa su<m>pta sub disiunctione sunt essentialia.

<Cf. T 9vB> Quaestio est utrum propositio est vera vel falsa, sicut dicitur in definitione propositionis.

1. Et ostenditur quod omnis propositio sit vera sic: Scribitur in libro De anima quod sicut intelligimus, sic componimus. Sed solus intellectus est verorum, ut habetur in Posterioribus. Ergo omnis propositio est vera. Sed omnis propositio est compositio. Ergo omnis propositio est vera. **/V 8rB/**

2. Item at idem. Ens et verum convertuntur. Sed omnis propositio est ens. Ergo etc.

3. Item ad idem. Verum et falsum sunt opposita. 'Nullam propositionem esse veram' et 'omnem propositionem esse veram' sunt opposita. Et si oppositum dicitur de

opposito et propositum de proposito. Sed nullam propositionem esse veram est falsum. Ergo omnem propositionem esse veram est verum.

4. Item ad idem. Aliquam propositionem esse veram est verum. Ergo nullam propositionem esse veram est falsum. Et si hoc, ergo nullam propositionem esse veram est non verum[1]. Sed 'nullum non' et 'omne' aequipollent. Ergo omnem propositionem esse veram est verum[2]. Ergo omnis propositio est vera.

<*Ad 1-2*> Solutio. Ad prima duo est dicendum quod argumenta procedunt de vero incomplexo et de intellectu incomplexo non de intellectu complexo. Intellectus vero incomplexus solus est verorum[3] et ens et verum convertuntur. Et sic patet.

<*Ad 3*> Ad tertium dicendum quod ista regula "<Si> oppositum de opposito etc." habet intelligi <de> uniformiter sumptis. Sed haec non accipiuntur hoc modo quia in una propositione sunt complexa et in alia incomplexa. Ergo etc.

<*Ad 4*> Ad ultimum dicendum quod 'nullus non' et 'omnis' aequipollent quando non est ibi aliqua verbalis copula inter ipsum signum et negationem. Sic autem non est in proposito. Ergo etc.

Item nota quod sensus dicitur multis modis [../V 8vA/..][4] Sic accipitur hic.

Item. Nota quod perfectum sic definitur: perfectum est cui nihil deest, ut deus. Item perfectum est cui non est possibilis additio. Item perfectum est quod potest generare sibi simile. Item perfectum est quod potest attingere virtuti, ut homo animal tendens ad beatitudinem.

Item. Nota quod oratio dicitur multis modis uno modo est oris ratio et sic omnis dictio est oratio, et sic oratio dicitur esse perfecta aut quando perfecte potest movere intellectum qui est finis et virtus orationis constans ex duabus dictionibus. Alio modo idem est quod deprecatio. Alio modo idem est quod multitudo orationum ut syllogismus. Alio modo idem est quod ordinatio dictionum. Secundo modo accipitur hic.

Item quaeritur utrum aliqua oratio sit perfecta et videtur quod non, quia perfectum etc.; sed nulla oratio potest esse huiusmodi cum enim sit inanimata; ergo etc.

Item ad idem. Perfectum est cui nihil deest; sed omni orationi aliquid deest, ut per se patet; ergo etc.

Sed contra scribitur in principio Caeli et mundi quod totum est perfectum sunt idem. Sed oratio est quoddam totum ergo etc.

Item perfectum est quod potest attingere [ergo] etc.; sed omnis oratio est huiusmodi, cum virtus eius sit movere intellectum et omnis oratio possit hoc facere; ergo etc.

Solutio. Dico quod quaedam oratio est perfecta, quaedam imperfecta ut patet in littera.

Et ad primum argumentum dico quod cum dicitur "Perfectum est quod potest etc.", ista propositio est intelligenda de perfectione quae est in animalibus, et non de illa quae est in oratione.

---

1. verum] vera V.
2. verum] vera V *a.c.*
3. verorum] verus *cj. De Rijk.*
4. *Quae omisimus apud De Rijk p. 46 extant.*

Ad secundum dicimus quod aliquid potest esse de essentia alterius duobus modis aut quod sit de essentia eius et omne[1] tale est imperfectum, aut quod non sit de eius esse et essentia et tale bene potest esse perfectum quamvis in ipso deficiat aliquid.

Ad primum in oppositum dico quod totum dicitur duobus modis. Uno /V8vB/ modo idem est quod quaelibet pars totius, et sic totum et perfectum non sunt idem. Alio modo idem est quod constitum ex omnibus partibus, et sic totum et perfectum sunt idem.

Ad aliud dicendum quod perfectio dicitur duobus modis, uno modo idem est quod forma substantialis rei et sic unius rei una est perfectio. Alio modo perfectio idem est quod intelligenda propositio et hoc modo dicitur oratio perfecta.

Ad ultimum dicendum quod movere intellectum est duobus modis, aut complete aut incomplete. Oratio perfecta movet intellectum complete, oratio imperfecta econverso.

Item quaeritur utrum oratio sit vox significativa. Et ostendo quod non.

Idem non potest esse agens et patiens respectu[2] eiusdem; sed oratio patitur ab intellectu cum componatur ab eo; ergo non est agens intellectu<m>; ergo nihil repraesentabit intellectu<i>; ergo non erit significativa.

Item omne instrumentum exercet naturaliter opus suum. Sed oratio est instrumentum naturaliter. Ergo significabit.

Ad primum dicendum quod idem non potest esse agens et patiens respectu eiusdem eodem modo se habens, sed diversimode.

Ad aliud dicendum quod oratio secundum iam <dicta> est constituta ex suis partibus, significat naturaliter, per comparationem tamen ad intellectum et ad eius partes significat ad placitum.

<1.7> PROPOSITIONUM ALIA CATEGORICA [...]

Circa istam lectionem quaedam possunt notari et primum est quod totum dicitur tripliciter, uno modo est quoddam totum naturae et est quoddam artis /V 9rA/ et est quoddam totum rationis. Totum naturae est compositum ex vera materia et vera forma, ut homo. Totum artis est compositum ex vera materia et non ex vera forma, ut imago. Totum rationis nec est ex vera materia nec ex vera forma, sed est compositum ex aliquo loco verae materiae et verae formae, ut propositio. Est enim subiectum loco materiae, et praedicatum loco formae. Prima causa est quia sicut ex materia et forma fit unum, ita ex subiecto et praedicato fit una propositio. Secunda est quia <sicut> forma dat esse materiae, ita praedicatum dat esse subiecto. Tertia causa est quia sicut materia apta nata est ad plures formas recipiendas, ita subiectum est aptum natum ad recipienda plura praedicata.

Item nota quod tribus de causis \dicitur/ propositio categorica sive praedicativa magis quam subiectiva. Primum est quod praedicatum est finis propositionis et a fine denominatur res. Secunda est quod praedicatum se habet loco formae, subiectum loco materiae. Sed forma dignior est materia ergo etc. Tertia causa est quod praedicatum communius est quam subiectum et a maiori(?) denominatur res, ergo etc.

Item nota quod in quibusdam propositionibus duplex est subiectum: quoddam est subiectum propositionis, et quoddam enuntiationis. Subiectum propositionis habet esse

---

1. omne] esse V.
2. respectu] idem V.

in obliquo quando dico 'hominis est asinus', 'hominis' est subiectum propositionis. Subiectum enuntiationis vel distributionis habet esse in nominativo, unde i<s>ta distinctio non habet esse in omni propositione sed in propositione ubi est obliquus et rectus in eadem propositione.

Item nota quod quaedam sunt partes quae possunt subici et praedicari, et quaedam non possunt subici nec praedicari, unde partium aliae declinabiles, aliae indeclinabiles. Si indeclinabiles, hoc duobus modis, aut sumuntur materialiter aut significative. Si materialiter, sic possunt subici, unde possum dicere "'In' est praepositio", et in ista propositione 'in' sumitur materialiter. Si vero suma<n>tur [materialiter] significative, non possunt subici nec praedicari. Si vero sint declinabiles, hoc duobus modis, aut adiective aut substantive. Si substantive, possunt subici aut praedicari. Adiectiva[1] aut quaedam sunt quae possunt subici et praedicari et quaedam quae non; illa adiectiva quae significant res veras possunt subici et praedicari ut /V 9rB/ 'album', illa autem quae significant modum rei non possunt subici nec praedicari, ut 'omnis', 'nullus' et signa universalia et particularia. Unde non sunt subiecta nec praedicata sed solum dispositiones.

Quaeritur utrum aliqua propositio categorica sit copulativa et ostendo quod non, quia si esset \aliqua copula, esset/ hoc verbum 'est'. Sed hoc quod dico 'est' non est verbum, ut probabo, ergo nulla copul[ativ]a in propositione. Arguo sic: omne verbum aut significat actionem aut passionem; sed hoc verbum 'est' non significat actionem vel passionem; ergo etc. Minor patet quia hoc verbum 'est' significat substantiam uniuscuiusque rei, ergo non significat actionem vel passionem.

Item, quod est radix aliorum verborum non est verbum; \sed hoc verbum 'est'/ est huiusmodi ergo etc.

Item omne verbum resolvitur in hoc verbum 'est'; sed hoc verbum 'est' est verbum, ergo resolvitur in se ipsum. Sed hoc est falsum, ergo aliqua praemissarum; non maior, ergo minor. Ergo haec est falsa: "hoc verbum 'est' est verbum".

Item ad idem. Principalis forma unitur materiae sine medio ut vult Aristoteles, sed praedicatum est loco formae et subiectum loco materiae. Ergo praedicatum unitur cum subiecto sine medio. Ergo non erit aliqua copula in propositione.

Solutio. Dicendum quod tria sunt in propositione, scilicet subiectum et praedicatum et copula. Sed copula aliquando est explicita ut 'homo est currens', aliquando implicita, ut 'homo currit'. Et generaliter est copula implicita quando ponitur verbum adiectivum, quia in omni verbo adiectiuo intelligitur hoc verbum substantivum 'est'.

Ad argumenta in oppositum respondeo et primo ad primum sic, quod quamvis hoc verbum 'est' non significet actionem vel passionem, significat tamen per modum actionis et nihil est quod ponat ita sub specie partis sicut modus[2] significandi, si\cut/ vult Petrus Heliae.

Ad aliud dico quod "illud quod[3] dicitur radix etc.", dicendum quod <hoc quod> dico 'illud' potest habere suppositionem simplicem vel personalem; si simplicem, falsa est; si personalem, vera est.

---

1. adiectiva] adiective V.
2. modus] modum V.
3. quod] quando V.

Ad tertium dico quod hoc verbum 'est' aliquando est verbum substantivum, aliquando adiectivum. /V 9vA/ Quando est substantivum sic omne [ad]verbum resolvitur in ipso, quando adiectivum non.

Ad aliud dico quod illud quod dicit Aristoteles, sc. quod forma unitur materiae, illud intelligitur de medio quod differt ab extremis et non de medio quod particip[i]at vim extremorum. Omne enim medium uniens formam cum materia participat vim utriusque. [...]

Quaeritur utrum verbum possit praedicari. Et videtur quod non, quia dicit Aristoteles in libro Peri Hermeneias quod verbum est nota eorum quae de altero dicuntur. Unde sic arguo: Nota non est id cuius est nota; sed verbum est est nota eorum quae etc. Ergo non debet praedicari.

Item ad idem. Si verbum praedicaretur, non posset fieri conversio <ita> quod praedicatum fieret subiectum et econverso. Ergo non debet praedicari.

Ad idem. Si verbum praedicaretur, non posset fieri syllogismus in prima; sed hoc est falsum; ergo et primum.

Sed contra: <Philosophus> dicit quod verbum semper praedicatur; et hoc idem dicit Boethius in commento.

Item, nomen et verbum sunt diversae partes orationis; sed diversa diversum situm debent habere; sed nomen subicitur; ergo verbum praedicatur.

Solutio. Dico quod duo sunt in verbo, id est res verbi et compositio verbi. Res verbi dicitur esse nominativus intellectus in ipso verbo, ut cursus intelligitur in hoc quod dico 'currit', et sic praedicatur. Compositio duplex est: generalis et specialis. Generalis compositio est in omni verbo adiectivo; specialis autem est inclinatio actus verbi ad substantiam et sic concedo prima argumenta.

Quaeritur per quam naturam verbum habeat resol/V 9vB/vi in hoc verbum 'sum, es, est'. Dicendum est quod omne verbum significat actum actualem, qui quidam actus non potest stare per se sed habet esse in substantia nominis et esse est quodam medium. Unde illud quod non potest esse in altero, dat intelligere hoc verbum 'est' sine quo non potest esse, ut 'Socrates currit' idest "Socrates est currens".

Videtur quod bene dicatur 'Socratem legit' sic: Sicut se habet rectus nominis ad obliquum verbi, ita se habet obliquus nominis ad rectum verbi; sed ita se habet rectus nominis ad obliquum verbi quod constituit orationem perfectam ut 'Socrates cucurrit'[1], ergo ita se habet obliquus nominis ad rectum verbi quod constituet orationem perfectam. Ergo bene dicitur Socratem legit.

Dicendum quod non <valet> similitudo quia in obliquo verbo intelligitur rectus verbi, ut 'fuit' id est "est praeteritum"; sed in nomine obliquo non intelligitur rectus; et sic non valet similitudo.

<1.8 vel 1.9> ITEM PROPOSITIONUM CATEGORICARUM [...]

Ad evidentiam istius locutionis notandum est quod tria sunt in propositione scilicet substantia, quantitas et qualitas. Qualitas inest propositioni a parte post, et sic sumitur triplex divisio propositionis; quantitas inest propositioni a parte subiecti (universalitas

1. cucurrit] currere V.

et particularitas etc.); et sic sumitur secunda divisio propositionis. Sed substantia inest propositioni a parte utriusque scilicet subiecti et praedicati.

Secundo notandum quod universale dicitur multis modis. Uno modo universale est quod aptum natum est dici de pluribus, ut homo. Alio modo quod facit propositionem universalem, ut signa universalia. Sed potest esse dupliciter; primo est quando praedicatum inest cuilibet parti subiecti per se, ut 'omnis homo est animal', alio modo quando praedicatum inest subiecto et partibus simul, ut 'ambo trahunt[ur] navem'.

Tertio /V 10rA/ notandum quod negatio aut ponitur in dictione aut in oratione per appositionem aut per compositionem. Si per appositionem, aut ergo praecedit verbum aut non. Si non, est oratio affirmativa. Si sic, aut verbum est principale aut non principale. Si non principale est oratio affirmativa. Si principale sic est negativa. Si vero sit negatio addita per compositionem, aut ergo est integra aut corrupta. Si integra est oratio affirmativa ut 'non homo', si corrupta est oratio negativa ut 'nullus homo'. Et dicitur illud verbum principalius \cui redditur principalius/ subiectum, ut si dicam 'homo qui currit disputat', hoc quod dico 'disputat' principalius est verbum, quia 'homo' reddit ei suppositum et non hoc quod dico 'qui'.

Item nota quod affirmatio et negatio dicuntur duobus modis. Uno modo dicitur affirmatio idem quod assertio; alio modo idem quod affirmativa propositio[1]. Similiter negatio dicitur duobus modis. Uno modo negare idem est quod non concedere; alio modo idem est quod negative[2] proferre, et sic accipitur hic 'affirmatio' et 'neg<ati>o'.

Item, duplex est negatio, significata et exercitata. Significata importatur per hoc verbum 'nego', et illa non facit propositionem negativam. Exercitata per hoc adverbium 'non', et talis facit propositionem negativam.

Item, propositio universalis dicitur dupliciter: aut secundum rem, aut secundum modum. Propositio universalis secundum rem dicitur esse quando non ponitur ibi <signum> universale sive aliquid quod aequipollet universali ut 'Socrates et Plato currunt' i.e. uterque. Si secundum modum. hoc duobus modis: aut ab universalitate, et sic est quando universale signum additur termino communi ut 'omnis homo currit', aut ab †universalitate†, et sic quando signum additur termino singulari ut 'totus Socrates currit'.

Item, differentia est inter universalitatem \et universitatem/, quia universitas dicit †modis multis† in potentia, sed universalitas dicit multitudinem in actu, ut quando populus est aggregatus est universitas.

Item universale dicitur tribus modis, uno modo idem est quod subiectum scientiae ut in grammatica est littera et syllaba, unde Aristoteles dicit omnis scientia est de universali; alio modo idem est quod aptum natum praedicari /V 10rB/ de pluribus, ut homo; alio modo quod facit propositionem universalem, ut 'omnis homo est animal'. [../V 10vB/..]

Quaeritur, quando dico 'duo homines currunt', utrum haec propositio sit universalis vel particularis vel singularis.

---

1. propositio] probatio V.
2. negative] negare V.

Et videtur quod sit universalis quia illa propositio est universalis quae aequipollet universali, ut cum dico 'duo homines currunt' id est "uterque illorum currit"; ergo est universalis.

Ad idem. Quando dico sic: 'Petrus currit, Paulus currit, ergo duo homines currunt', ibi est argumentatio; aut fit per enthymema aut per syllogismum aut per inductionem; ista non fit per enthymema nec per syllogismum, ergo fit per inductionem, et est ibi quaedam regula quando fit inductio: "Quotienscumque fit processus a particulari ad universale, tunc est propositio universalis", ergo erit universalis.

Sed contra. Nullum signum potest recipere supra se aliud signum, sed bene dicitur 'omnia duo currunt'; ergo etc.

Ad hoc dicendum quod signa possunt dupliciter considerari, aut prout important in se materiam suae distributionis, et talia bene possunt recipere aliud signum supra se, ut 'duo' et 'tria'; aut prout non important supra se materiam suae distributionis, ut 'omnis'. [...] **/V 14rB/**

<1.16> SEQUITUR DE HYPOTHETICA PROPOSITIONE [...]

Unde differentia est inter 'si' et 'ergo', quia 'si' dicit mihi dubitationem antecedentis et certitudinem consequentis, ut 'si tu es episcopus, dabis mihi ecclesiam'; sed[1] 'ergo' dicit mihi certitudinem antecedentis et certitudinem consequentis, ut 'Socrates currit, ergo movetur'. [...]

Item nota quod hoc quod dico 'si' aliquando facit propositionem **/V 14vA/** de condicionali subiecto, id est quando coniungit duo in subiecto, ut 'si Socrates si Plato currit, homo movetur', et tunc est categorica; aliquando facit propositionem de condicionali praedicato, sc. quando coniungit duo in praedicato, ut 'homo movetur si Socrates si Plato currit', et tunc est adhuc categorica. Tertio coniungit propositionem cum propositione, ut 'si homo est, animal est', et tunc est hypothetica. [../**V 15vA/**..]

<1.17> Tertio notandum est quod negatio est duplex: aut per modum conceptus aut per modum affectus. Si per modum conceptus, hoc duobus modis: aut per modum quietis aut per modum actus. Si per modum quietis, sic est hoc nomen 'negatio'. Si per modum actus, sic est hoc verbum 'nego, negas'. Si vero sit negatio per modum affectus, sic est hoc adverbium negandi 'non', quod divisionem \significat/ quandam quam non est intelligere sine extremis, sicut hoc verbum 'est' significat compositionem quam non est intelligere sine extremis. [.../**V16rA/**...]

<1.19> MODUS EST ADIACENS etc. [.../**V 16vA/** ..]

<Cf. T 8vB> Circa istam [propo] lectionem quaeritur utrum adverbium possit esse adiectivum verbi.

Et ostenditur quod non.

Quaecumque sic se habent quod differentia sunt secundum speciem, unum illorum non potest esse adiectivum alterius; et cum adiectivum et substantivum debeant esse idem †numero†, sed adverbium et verbum sunt diversae species partium orationis, ergo adverbium non est adiectivum verbi.

Item, ad idem: Omne adiectivum debet certificari per suum subiectum cum dependeat ab ipso et sic infinitum et quaerit finitari per substantiam; sed adverbium non potest

---

1. sed] si V.

certificari per verbum, ut probabo; ergo non est adiectivum.[1] Quod non possit certificari per verbum probatio: Illud quod est infinitum et incertum de se et dependens non potest certificare aliud; sed verbum est huiusmodi; ergo non potest/V 16vB/ certificare adverbium.

Item, ad idem. Unum oppositorum non est adiectivum alterius, sicut album non est adiectivum nigri. Sed verbum et adverbium sunt opposita sicut declinatio et indeclinatio. ergo adverbium nunquam potest determinare verbum.

Item, adiectivum debet significare in speciali idem quod substantivum in generali. Sed adverbium non significat in speciali quod verbum in generali. Ergo non determinat verbum.

Solutio. Ad omnia ista dicendum quod duplex est adiectivum. Est enim adiectivum quoddam quod determinat substantivum ratione modi significandi \et/ convenit cum ipso in eodem; et quia ita est, ut vult Petrus Heliae, quod nihil ita ponit speciem sub specie partis sicut modus significandi, ideo tale adiectivum est sub eadem parte cum substantivo et tale est adiectivum nominis. Est aliud adiectivum quod est ratione significationis et convenit cum substantivo in eadem et non in modo significandi, et tale adiectivum non convenit sub eadem parte cum substantivo et tale est adverbium. Unde omnia argumenta <quae> probant quod adverbium non sit adiectivum primo modo [non] sunt concedenda per istam distinctionem.

Littera sic legatur: Modus i.e. determinatio hoc est adiectivum, adiacens hoc[2] est dependens, rei hoc est ad rem substantiam; unde vult dicere quod modus nihil alud est nisi adiectivum dependens ad substantivum. Unde per istam litteram tria tanguntur: \ipsum/ adiectivum per hoc quod dicit "determinatio", ipsum substantivum per hoc quod dicit "rei", dependentiam unius ad alterum per hoc quod dicit "adiacens".

[../V 19rA/...]

<*Tractatus II, De praedicabilibus*> [../21vA/..]

<2.8> SPECIES EST etc. [../V 21vB/..]

<-T> Quaestio est utrum species praedicetur in eo quod quid vel quale.

Et quod in eo quod quale probatio:

1. Quando aliquid componitur ex duobus, ex principio materiali et formali, magis denominatur a formali quam \a/ materiali; sed species componitur ex genere tamquam materiali et ex differentia tamquam formali; ergo magis denominatur a differentia quam a genere. Sed differentia praedicatur in eo quod quale, ergo et species.

2. Item, scribitur in Elenchis[3] quod homo et omne commune quale quid indicat; sed species est communis; ergo indicat quale quid; ergo etc.

---

1. adiectivum] substantivum V.
2. hoc] hic V.
3. Arist. SE 22.178b37-39. Pro 'indicat' (graece *σημαίνει*) in translationibus Iacobi & Guillelmi de Moerbeke 'significat' habemus; sed uno loco (182a16) Guillelmus *σημαίνει* per 'indicant' reddidisse invenitur.

3. Item, ad idem. Scribitur ab Alexandro supra librum Elenchorum[1] quod communitas †d()i omnis(?) est ei pro qualitate; sed omnis(?)†[2] habet in se communitatem; ergo et qualitatem.

Solutio. Et dico quod differt dicere quale et praedicare in eo quod quale, quia secundum naturam communitatis dicit quale, secundum id quod se habet per modum adiectivi et concreti praedicatur in eo quod quale. Unde dico quod species potest bene dicere quale, non tamen praedicatur in eo quod quale.

<*Ad 1*> Ad primum argumentum dicendum quod duplex est denominatio:[3] secundum rem et secundum modum. Unde species denominatur a differentia secundum rem, non secundum modum, non enim habet modum praedicandi qualis \sit/ differentia.

<*Ad 3*> Et ad u<1>timum dicendum est videlicet quod species bene potest dicere quale sicut /V22rA/ probant argumenta, non tamen in eo praedicari quod quale. [../V22vB/...]

<2.14> PROPRIUM EST QUADRUPLEX etc. [.../V 23rA/...]

Item, quaestio est de hoc proprio quod est medicum, utrum conveniat alicui et non omni.

Et videtur quod conveniat omni, quia omne proprium datur in aptitudine; sed omnis homo est aptus natus ad habendum medicinam; ergo omnis homo est medicus.

Solutio, et dico quod nullum proprium datur in aptitudine nisi proprium quarto modo sumptum, quare non valet obiectio.

Item, 'risibile' quod non dicat aptitudinem sed actum probatio. Dicit commentator Petrus Eleye quod idem significat 'legens' et 'lectio' et 'legit'; ergo idem significatur *** 'rationale', 'risibile' et 'ridere'; sed 'ridere' significat actum, ergo et 'risibile'.

Solutio. Et dico quod idem habent significatum, sed modum significandi diversum, et quia significatum non ponit partem[4] in specie partis sed modus significandi.

Item, quaeritur utrum proprium sit universale [../V24vA/..]

<3.1> AD COGNOSCENDUM AUTEM [.../V 24vB/...]

Quarto notandum quod quattuor sunt con[tra]diciones neccesariae ad hoc quod aliquid descendat ab aliquo denominative, scilicet quod habeat convenientiam cum substantivo in principio nominis et differentiam in fine; et quod habeat significatum idem et modum significandi diversum.

Quinto notandum quod haec est causa quare adiectivum secundum logicum descendit a substantivo et a grammatico[5] e converso, quia substantivum dicit per se stantem rem,

---

1. In commentario Michaelis Ephesii (Ps.-Alex.-1) ad 178b36sqq nihil ad rem inveni; sed in Commentario III ad loc. (C&C II.224-6) *τὸ γὰρ ἄνθρωπος καὶ ἅπαν τὸ κοινὸν, ἤγουν καὶ ἁπλῶς τὸ καθόλου πᾶν, οὐ τόδε τι καὶ οὐσίαν καὶ ὕπαρξιν ἰδίαν καὶ ὑπόστασιν δηλοῖ, ἀλλὰ τοιόνδε τι, ἤτοι κοινωνίαν τοιάνδε* (224: 19-22) et *οὐ δεῖ δοῦναι τὸ κοινὸν κατηγορούμενον, ἤγουν τὸ καθόλου, ὅτι σημαίνει τόδε τι καὶ οὐσίαν αὐτὴν καθ' αὑτήν, ἀλλὰ' ἢ ποιότητά τινα καὶ κοινωνίαν ἢ οὐσίαν σχέσιν ἔχουσαν ἐν τοῖς μερικοῖς ἢ πλῆθος πεποιωμένον* (226: 62-65) legimus.
2. *fort.* communitas termini communis est ei pro qualitate; sed omnis <species> *scribendum.*
3. denominatio] demonstatio V.
4. ponit partem] ponitur per rem V.
5. a grammatico] argumento V.

alio modo dicit adiectivum rem dependentem, et id quod est per se stans prius est quam id quod est dependens. et posterius debet descendere a priori; ideo adiectivum decendit a sustantivo. Sed quia grammaticus est sensibilis artifex et quia forma in materia est notior quam extra materiam, ideo dicit grammaticus quod substantivum descendit ab adiectivo sic<ut> minus notum <a> magis noto.

Ad intelligentiam ultimae partis intellige quod est sententia ultimae partis quod omne adiectivum descendens a substantivo habens convenientiam cum illo substantivo in nomine, differens ab illo solo casu, hoc est sola cadentia formae ad materiam. praedicatur de eo de quo /V 25rA/ praedicatur denominative, ut 'fortis' [praedicatio] descendens a fortitudine praedicatur denominative. Unde breviter adiectivum ponitur denominative, substantivum vero univoce vel aequivoce: et dicitur adiectivum differre a substantivo sola cadentia formae ad materiam quia substantivum dicit formam puram, ut 'albedo' albedinem[1], sed adiectivum dicit formam cum materia, ut 'album' rem albam. [...]

Item, notandum quod quaedam sunt nomina aequivoca et quaedam univoca et quaedam denominativa, et quae sunt i<s>ta patet per ultimam partem lectionis. Alia sunt nomina analoga et dicitur analogum quod dicitur de duobus, de uno per prius et de altero per posterius, ut 'ridere' per prius significat actum /V 25rB/ ridendi et per posterius florere. Alia sunt nomina multivoca, quando res est una, nomina vero plura, ut nomina synonyma, unde analoga continentur sub aequivocis et multivoca sub univocis. [../V 28rA/..]

<3.14> Quaeritur utrum oratio sit quantitas.

Et videtur quod non sic: Nihil quod movet sensum est quantitas sed qualitas; sed oratio movet sensum auditurs; ergo non est quantitas sed qualitas.

Item, ad idem. Omnis aer est substantia; sed vox est aer; ergo vox est substantia. Sed oratio est vox; ergo oratio est substantia; non ergo quantitas.

Item, ad idem. Signum et significatum dicunt esse in uno genere, ut circulus et vinum; sed oratio est signum veritatis et falsitatis; sed veritas et falsitas sunt qualitates; ergo oratio etc.

Solutio. Sicut tactum est in praecedenti parte, oratio multis modis accipitur: aut in mente, et sic est qualitas; aut in scripto, et hoc duobus modis: aut quantum ad substantiam litterarum et syllabarum, et sic est substantia; aut[2] quantum ad colorem, et sic est movens visum, et sic est qualitas; aut in pronuntiatione, hoc duobus modis: aut prout est vox prolata, aut prout est mensura vocis prolatae; si prout ex vox prolata, sic materialiter est substantia; si secundo modo, sic est quantitas. [.../V 33vB/ ...]

<Tractatus IV de syllogismis>

<4.1> PROPOSITIO EST ORATIO ETC. [.../V 34rA/ ...]

Quaestio est utrum syllogismus sit aliquid.

1. Et ostenditur quod non, quia [...]

---

1. albedinem] albedinis V.
2. aut — aut] ad — ad V.

3. Item, ad idem. Ex eis quae non permanent non fit aliqua ordinatio sive positio partium, ut habetur a Boethio in commento supra Praedicamenta; sed oratio non permanet, ut habetur in Praedicamentis; ergo †in dictionibus† non fit aliqua propositio; sed in omni syllogismo fit aliqua propositio, per eiusdem definitionem; ergo nullus syllogismus fit ex †dictionibus†.

Solutio. Dicendum quod syllogismus est aliquid.

Et ad primum argumentum dicendum [../V34rB/..] Ad aliud dicendum similiter.

<*Ad 3*> Ad tertium dicendum quod duplex est propositio: realis et intentionalis. Unde dicendum quod in syllogismo partes non ordinantur realiter sed intentionaliter solum, et hoc <quia> ab anima ordinatae sunt et dictinctae propositiones in syllogismo. Aristoteles autem <et> Boethius locuti sunt in Praedicamentis capitulo de quantitate de[1] <pro>positione reali. [...]

<*6. Tractatus de suppositionibus*> V 44vA-48rA; *ed. De Rijk 51-61.*

<*7. Tractatus de fallaciis*> V 48rA

<7.1> DISPUTATIO EST ACTUS.

Duplex est modus argument<ation>is, completus est incompletus; completus ut syllogisticus, incompletus ut localis. Et huic duplici argumentationi respondet duplex impedimentum, sc. inutilis coniugatio quae respondet syllogismo et fallacia quae respondet argumentationi locali. [.../V 51rB/...]

<7.21> DIVISA DISPUTATIONE. [...]

Item, nota quod triplex est ratio quare magis circa sermonem significativum fiat fallacia quam circa calorem vel obiectum aliorum sensuum. Prima causa est quod obiectum auditus, sc. vox, est res non permanens sed transiens; ita non est de aliis obiectis. Secunda [sed] causa est quia vox est signum rei, alia obiecta non, ideo potest esse signum unius vel plurium. Tertia causa est quod principium vocis est a voluntate, sed principia aliorum obiectorum est a natura; /V 51vA/ et voluntates hominum sunt diversae, et ideo significationes vocum sunt diversae.

Item, fallacia sic definitur a commentatore Alexandro: Fallacia est deceptio[ne] proveniens ex ignorantia proprietatis[2] rei vel vocis. <***> tangit fallacias in dictione. [...]

Item, notandum quod penes intellectum agentem, qui semper actu[m] intelligit[ur] sicut lux semper actu lucet sumitur multiplicitas actualis, penes vero intellectum possibilem sumitur multiplicitas potentialis, et est intellectus potentialis qui semper[3] aptus natus est intelligere quamvis actu semper non intelligat; penes vero intellectum phantasticum circa virtutem mathematicam(!) sumitur multiplicitas phantastica. [../51vB/..]

<7.25>SCIENDUM AUTEM etc. [...]

---

1. de] sive V.
2. proprietatis] proprietate V.
3. semper] super V.

<Cf. T 32rB> Notandum quod duplex est genus[1] entis, quia quoddam est ens in anima, et isti enti */V 52rA/* correspondet multiplex <phantasticum>; aliud ens est in natura, et hoc est duplex, quia quoddam est in actu, et isti enti correspondet multiplex actuale; aliud est in potentia, ut Antichristus, et huic correspondet multiplex potentiale.

Item, duplex est forma essendi res, sc. forma quae est altera pars compositi, ut anima; et forma consequens totum compositum, ut humanitas. Et huic respondet duplex principium, sc. principium motivum, quo<d> respondet secundariae formae consequenti compositum; et principium defectus, quod respondet formae quae est altera pars compositi.

Item, nota quod materia dictionis sunt litterae et syllabae. Et forma dictionis est duplex: accidentalis, ut significatum; substantialis, ut modus proferendi. Unde dictio dicitur eadem esse simpliciter quando est eadem secundum materiam et secundum formam substantialem. Et hoc modo loquitur Aristoteles(!) quando <dicit quod> principium motivum aequivocationis est unitas dictionis.

Secundo, nota quod triplex est accentus. Unus qui consistit in elevatione et depressione vocis, et iste est accentus syllabae, et non potest esse essentialis dictioni. Alio modo dicitur accentus enuntiatio vocis, et sic est essentialis syllabae et dictioni, prius tamen syllabae, et sic cadit in definitione syllabae: "syllaba[2] est quae sub uno ac-<cen>tu et uno spiritu indistanter profertur. Tertio modo dicitur accentus ordinatio partium proportionalis vocis litteratae, et iste accentus est perfectio dictioni<s>, quia perficit ipsam dictionem et distinguit.

Sententia vero litterae satis patet †supposito videlicet ad illum locum ubi incipit alia lectio ubi dicit Auctor de aequivocatione prout est principium deceptionis causatae in nobis, hoc est de ipso argumento†. Et sic sunt duo principia et u/V52rB/na definitio.

<Cf. T 32vB> Videtur quod significatum non sit forma substantialis sed accidentalis.

Quia unius rei non possunt esse plures formae substantiales; sed unius dictionis sunt plura significata; ergo significatum non est forma dictionis substantialis.

Item. Forma substantialis est in eodem genere cum eo cuius est forma; sed significatum et ipsa dictio non sunt in eodem genere, quia dictio est vox et vox est in praedicamento qualitatis, sed significatum est substantia quia est similitudo in anima, et similitudo in anima est vita, et vita est substantia, ut dicit Aristoteles, quia arca[3] dum est in anima est substantia, et dum est extra animam est accidens.

Item. Materia[m] habet naturalem inclinationem ad suam formam substantialem; sed dictio non habet naturalem inclinationem ad suum significatum; ergo significatum non est forma substantialis dictionis.

Oppositum patet, quia forma accidentalis est variabilis in[4] suum contrarium; sed significatum non potest variari in contrarium; ergo est forma substantialis et non accidentalis.

---

1. est genus] *geminavit V.*
2. syllaba] sic falsa V.
3. arca *scripsi coll.* T] are + *spat. vac. 1-2 litt.* V.
4. in] et V.

Solutio. Dico quod significatum est forma accidentalis et non essentialis vel substantialis, quod idem est. Et dico quod accentus vel modus proferendi est forma substantialis, et omnia cetera propria argumenta sunt concedenda.

Ad aliud dicendum quod quando dicitur quod forma accidentalis est variabilis in suum contrarium, dico quod illud intelligitur ubi alterum insit determinate, ut caliditas in igne, et hoc modo significatum est in ipsa dictione determinate. Sed aliter posset dici quod significatum est variabile secundum voluntatem imponentis, ut dicit Horatius in Poetria "Multa renascuntur"[1] id est multa fuerunt significata dictionum /V 52vA/ quae non sunt hodie.

Item. Hoc idem potest ostendi aliis rationibus, quod significatum sit forma accidentalis. Dicit Aristoteles in Topicis: ad considerandum utrum aliquod accidens insit alicui subiecto considerandum est utrum oppositum eius possit inesse, et si non, nec ipsum i<n>erit, ut si albedo non potest inesse alicui subiecto, ergo nec nigredo. Sed significatum et non significatum sunt opposita, sed non significare non inest voci significativae; ergo nec significatum inerit ut accidens; ergo inerit ut substantiale.

Item. Omne dividens aliquod genus essentialiter est in aliqua specie illius genereis essentialiter, ut rationale dividit animal essentialiter, et est in homine essentialiter; sed significat<iv>um et non significat<iv>um dividit vocem essentialiter, ut dicit Boethius; ergo oportet quod significat<iv>um sit essentialiter in aliqua specie vocis; ergo in voce significativa.

Item. <Vox> non imponitur ad significandum nisi quia anima excitatur ad ipsam rem extra quae significatur, ergo res dicitur esse causa vocis; sed omnis effectus naturaliter repraesentat vel significat suam causam; ergo vox naturaliter significat suum significatum; non ergo accidentaliter.

Solutio quaestionis manifesta est prius.

Ad primum argumentum dico quod significatum †non† potest dupliciter considerari. Aut <in comparatione> ad ipsam dictionem in quantum vox est, et hoc modo significatum est accidentale dictioni. Aut potest considerari[2] in comparatione ad vocem significativam prout est in ratione signi, et sic est ei essentiale.

Vel aliter posset dici quod †non† significatum potest esse dictioni, secundum quod dicit Horatius "Multa renascuntur", i.e. multa significata dictionum.

Ad secundum dico quod quando Boethius dividit vo/V 52vB/<cem in> vocem significativam et non significativam, quod ibi est divisio subiecti in accidentia, unde quamvis dicat Boethius quod ibi est divisio essentialis, dico quod secundum quod dicit Aristoteles, exempla ponimus non ut hoc ita sit sed ut sentiant qui addiscunt.

Ad aliud dico quod duplex est causa essendi, sc. causa quae est prima causa, et est alia quae est cum ea causa. Unde dico quod significatio dictionis †et ipsa res vera causa sed est causa unde effectus naturaliter dat intelligere suam causam veram, et non est causa.†

---

1. Horatius, De arte poetica 70-72 "Multa renascentur quae iam cecidere cadentque / quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,/ quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi."
2. considerari] comparari V.

Sed dubitatur: cum nos habeamus unam [causam] fallaciam quando una dictio significat diversa, quaereret aliquis quare[1] non habemus similiter aliquam fallaciam quando plures dictiones significant eandem rem.

Et videtur quod debemus habere, quia sicut sub una voce res significatae plures, sic per plures voces latet una res et creditur quod plures res debeant significari, cum tamen una significetur; et ubi est latentia, ibi est fallacia. Quare[2] videtur quod ibi[dem] deberet esse fallacia.

Et dicendum quod[3] ibi non est latentia talis quae possit facere fallaciam, quia scimus quod vox ponitur ibi ad significandum res secundum[4] proprietates rerum; ergo si nos credamus quod diversae voces synonymae significent diversas res, ut 'Marcus' 'Tullius', secundum[5] proprietates rerum, non erimus decepti, immo credimus verum. Et si dicat aliquis "Nonne potest aliquis credere quod diversae voces significent res diversas veras et non secundum[6] proprietates rei, et tunc decipitur credendo?", huic dicendum quod ista fallacia non provenit a parte credulitatis /V 53rA/ †argumenti†, sed solum a parte ignorantiae sic credentis et cetera.

<7.28> QUANTUM AUTEM AD ALIUM MODUM [...]

Notandum quod aequivocatio potest considerari aut quantum ad vocem et hoc modo omnis dictio habet sua significata aequaliter, et dicitur aequivocatio quasi aeque vocatio; aut potest considerari quantum ad ipsam dictionem, et sic <aliquando aequ>aliter significat sua significata, ut 'canis', aliquando per prius et posterius ut[7] 'expediens'; aut potest considerari quantum ad ipsas res, et sic nulla dictio habet sua significata aequaliter, quia hoc nomen canis non significat marinum vel caelestem nisi per aliquam proprietatem, quia sicut canis latrabilis est animal venenosum, sic stella illa quae non est in suo dominio facit malos effectus, similiter dicitur de pisce marino qui habet similitudinem canis latrabilis.

Nota, quando aliquid dicitur de duobus, de uno /V 53rB/ per prius de reliquo per posterius, dicitur aliquando de posteriori[8] <non> per naturam prioris, et illud non est aequivocum, ut substantia dicitur per prius de substantia forma et de substantia quae est materia per posterius, et non dicitur de materia per naturam formae[9]. Aliquando[10] dicitur de posteriori per naturam <prioris>, et sic dupliciter:[11] aut enim illud prius est de essentia posterioris aut non. Si sic, sic non est aequivocum, ut substantia dicitur per prius de corpore et per posterius de animali, et corpus est de essentia animalis, et tamen substantia non est aequivocum. Si prius[12] non sit de essentia posterioris, sic est

1. quare] quia V.
2. quare] quia V.
3. quod] quid V.
4. secundum] sed V.
5. secundum] et V.
6. secundum] solum V.
7. ut] nec V.
8. aliquando de posteriori] autem quando dicitur per posterius V.
9. formae] forma V.
10. aliquando] alia est quae V.
11. dupliciter] dicitur V.
12. prius] primo modo V.

aequivocum, ut dicitur ens de substantia per prius et de accidente per posterius, et substantia non est de essentia accidentis in quantum ens est aequivocum. [../V53vA/..]

<7.32> AD HANC SECUNDAM SPECIEM [...]

<- T> Notandum quod duplex est transumptio, una est quando dictio significans unum transumitur ad significandum aliud per aliquam similitudinem et ista transumptio est licita, de qua dicit Aristoteles in Topicis quod omnes transferentes per aliquam similitudinem se transferunt; alia est transumptio quae non fit per aliquam similitudinem, et haec non est licita[1], et de hac dicit Aristotelis similiter in Topicis quod duo sunt peccata, scilicet mentiri et transgredi locutionem ad alienam significationem, et ponit exemplum si quis dicat Platonem esse hominem. [...] /V54rA/

Quaestio est utrum omne nomen sit aequivocum.

Et videtur quod non:

1. Omne comparabile est univocum; sed omne nomen est comparabile; ergo omne nomen est univocum. Minor patet, quia hoc nomen 'canis' habet plura significata quam 'expediens'.

2. Item. Sicut est in natura, sic est in arte; sed ita est <in natura> quod si agens est unum et materia est una, necessarium est esse formam unam; <ergo ***>.

3. Item. Nullum est aequivocum in genere; sed omne nomen est in genere; ergo nullum nomen est aequivocum. Minor patet, quia omne nomen significat substantiam vel accidens; ergo cum substantia et accidens sint[2] in praedicamento, significatum nominis est in praedicamento, et similiter vox, quia vox est in praedicamento qualitatis.

Et si dicatur quod minor intelligitur de nominibus univocis et non aequivocis, —

sed contra: quando aliqua duo ex parte dividunt aliquod tertium ponendo alia duo exa()a quicquid continetur sub prima divisione continetur sub secunda; sed ens primo sic dividitur: entium aliud substantia, aliud accidens: et aliter sic: entium aliud unum, aliud multa; sed omne nomen aequivocum significat unum vel plura; ergo significat substantiam vel accidens.

Solutio. Dico quod aliquod nomen aequivocum, aliquod non, secundum quod dicit Aristoteles in Elenchis, quod res sunt infinitae, nomina vero finita. et ideo necesse fuit quod unum plura significaret.

<*Ad 1*> Ad primum argumentum dicendum quod omne nomen in quantum est comparabile est univocum, ut 'canis' et 'expediens' in quantum autem sunt comparabilia sunt univoca, sed[3] si aliquis arguit ultra 'ergo sunt univoca', est ibi fallacia secundum quid et simpliciter, ut 'scio me nihil scire, ergo scio aliquid'.

<*Ad 2*> Ad aliud /V 54rB/ dico quod una debet esse forma substantialis, accidentales vero plures, quia significatum est forma accidentalis. Et ideo plura potest una dictio significare.

<*Ad 3*> Ad aliud dicendum quod non omnis substantia, nec omnis accidens, est[4] in praedicamento, sed solum substantia incomplexa et accidens incomplexum, ut dicitur

---

1. licita] laetitia V.
2. sint] sicut V.
3. sed] ut V.
4. est] sunt V.

in Praedicamentis quod singulum incomplexorum aut significat sustantiam aut qualitatem aut quantitatem etc.

Ad oppositum. Ostenditur quod omne nomen est aequivocum, et hoc sic sicut ostensum fuit in Praedicamentis; modo aliter ostenditur sic: 'scribitur in VIII ° Metaphysicae quod nomen significat prius formam et secundario aggregatum. †Sunt diversa†, sed omne tale est aequivocum; ergo omne nomen est aequivocum.

Item. Ad idem. Dicit Aristoteles quod in 3. Metaphysicae, quod 'circulus' dicitur aequivoce de circulo in materia particulari et de circulo qui est per se sine materia; sed omne nomen potest ita rem significare per se vel sine materia; ergo omne nomen est aequivocum.

Item. Si unum oppositorum dicitur multipliciter, et reliquum, ut habetur in primo Topicorum; sed negatio cuiuslibet termini dicitur multipliciter, eo quod potest esse negatio infinitans vel negans; ergo omnis terminus affirmativus [quia] dicitur multipliciter.

Ad primum dicendum quod omne nomen est forma et aggregatum,; sed unum mediante[1] altero significat, et non quodlibet per se.

Ad aliud dicendum quod verum est quod dicit Aristoteles de circulo, quae est res mathematica, et non de alia re.

Ad ultimum dicendum quod regula est intelligenda quando /V 54vA/ aliqua opponuntur.

<7.35> SI OBICIAS etc. [...]

Item duplex est consignificatio, una est consignificatio quando cum alio est significatio, et hoc modo omnes dictiones sunt syncategorematicae, quod est †significativum quasi cum alia significaret†.[2] Alio modo dicitur <con>significatio praeter principalem significationem rei praesentatio, et hoc dupliciter: aut in dictione, et sic est aequivocatio; aut in oratione, et sic est amphibologia.

Et intellige "in dictione" quod †actio† accidit dictioni absolute, non in comparatione ad aliqua [§] alia. †Ratio† patet de tempore in verbo, quod accidit verbo gratia significationis in se et absolute consideratae, †quod est modus†. Et dico "in dictione", quia[3] aliquod accidens accidit dictioni secundum quod una dictio ordinabilis <est> cum alia dictione, istud patet de casu in nomine, quia accidit ei in comparatione ad aliud, /V 54vB/ ut ad actum ipsius; tale accidens semper accidit amphiboliae, ut[4] postea patebit.

<- T> Quidam dicunt quod Anglici solent ponere diversitatem accidentium sub primo modo et posuissent illi tertium modum quando aliqua dictio per se significat unum, sed[5] per adiunctum significat plura, sive per comparationem, ut postea patebit.

<- T> Quaestio est utrum participium significet tempus praesens et praeteritum imperfectum insimul.

---

1. mediante] meth(aphisi)ce V.
2. significativum — significaret] <con>significativae, quasi "cum alio significantes" *vel sim. scribas.*
3. quia] quod V.
4. ut] et V.
5. sed] vel V.

<***> ergo nec praeteritum.

Item essentialior est comparatio praesentis ad futurum quam praesentis ad praeteritum, quia de futuro potest fieri praesens et non de praeterito. Sed participia significant praesens et futurum simul, ergo non significat praesens tempus et praeteritum.

Item dicit Aristoteles quod nomen est commune ei quod est et erit et fuit, ergo participia, si erunt communia praesenti et praeterito.

Solutio. Dicendum quod quidam dicunt quod participium non de se significat praesens et praeteritum, sed de se significat praesens et ratione verbi praeteriti <s>ibi adiuncti significat praeteritum. Sed haec ratio nulla videtur, quia si esset[1] verum[2] iam non esset multiplicitas in dictione sed in \o/ratione et esset amphibolia et non aequivocatio. Immo habet hoc de se. Et etiam hoc dicit Priscianus[3] quod participium significat praesens <et> praeteritum parum ante[4] illam partem "De tu quoque quidam[5] dubitaverunt". Quod concedendum.

Ad primum argumentum dicendum quod participium habet tempus a verbo, tamen habet aliter quam sit in verbo, quia participium significat[6] actum unitum substantiae et actus unitus substantiae partim est in fieri, et sic dicit praesens tempus et partim in facto esse et significat participium sic. Sed in verbo significat actum distantem a subiecto, ergo non est simile.

Ad aliud dicendum eodem /V 55rA/ modo quod participium non significat rem substantiae sed significat rem in fieri partim et partim in facto esse.

Ad aliud quod propositio sic intelligitur quod nomen est commune univocum ei quae fuit et erit et est, sed †aequivocum bene potest esse, unde potest esse, unde participium non est commune istis sed aequivocis.† [.../V 57vA/...]

<7.54> ITEM CUM ARISTOTELES [.../V 57vB/...]

Dicendum quod ratio quare assignantur sic modi speciales et communes potest esse ista quia cum significatio dictionis potest accipi duobus modis, stricto modo aut largo modo; si accipiatur stricto modo sub significatione non continetur consignificatio[7], tamen est alius modus penes significationem et alius penes consignificationem et sic accipiuntur modi speciales. Si vero significatio accipiatur largo modo, sic continet sub se omnem(?) modum significandi accidentalem sive consignificatum, et sic loco consignificationis quae faciebat tertium modum specialem non accipitur alius a primo modo et in modis sed loco consignificationis quae faciebat tertium modum specialem ponitur aequivocatio nominis[8] compositi ut in hoc nomine 'immortale', quae quidem[9] aequivocatio nominis compositi supponebatur sub primo modo speciali, /V 58rA/ nam primus

---

1. si esset] sicut V.
2. verum] *fort.* vera *scribendum.*
3. Prisc. Inst. 11.7.25
4. ante] autem V.
5. De tu quodque quidam] dicitur tu quoque quaedam V.
6. quia participium significat] quod participium significet V.
7. consignificatio] cum significato V.
8. nominis] modi V.
9. quidem] quidam V.

modus specialis accipi<eb>atur generaliter quantum ad hoc quod nomen erat compositum significare plura et non simplex †idem urit†

<7.55> ITEM VIDETUR [...]

<= T 36rB, ubi vide> Notandum est ad evidentiam lectionis [../V 58rB/..] et tempus est accidens quod accidit rei subiectae.

Sententia primae partis breviter est talis quod [...]. Sententia ultimae partis est quod quaedam accidentia sunt respectiva quae accidunt dictioni secundum quod una dictio est ordinabilis cum alia, et talia faciunt amphiboliam; quae accidunt [quaedam] dictioni absolute et non secundum quod est ordinabilis cum alia, ut in verbo tempus, et talia accidentia faciunt aequivocationem etc.

<7.57> COMPOSITIO ET DIVISIO [.../V 59rA/...]

Item nota quod oratio debet esse composita vel divisa. †Quia vero in oratione sunt† ita est quod sunt duo determinabilia et una determinatio, aut e converso, duae determinationes et unum determinabile. Si primo modo, dupliciter: aut est ita quod unum determinabile /V 59rB/ est totum ad aliud et aliud est pars, et hoc modo, quando determinatio determinat totum tunc est composita, et quando determinat partem tunc est divisa ut hic: 'omnis homo est et quodlibet videns illum est asinus'. Si hoc quod dico 'illum' determinat hoc totum 'omnis homo', est composita. Si determinet solum 'homo', sic est divisa. †sic est aequivocum† hoc dicitur dupliciter; aut [aut] utraque est verbum aut nomen; si utraque est verbum, aut ergo determinatio determinat ultimum verbum et sic est composita, aut primum et sic est divisa; si utraque sic est nomen tunc †ordinatur ultimum quod est conveniens[1] tantum† et sic est composita vel disconveniens status rerum et tunc est divisa, quod patet hic: 'te entem servum posui liberum'. Si autem unum determinabile et duae terminationes si[c] illud determinabile construitur cum ultima determinatione sic est composita, si <cum> prima sic est divisa; verbi gratia: 'quinquaginta virorum centum dimisit divus Achilles', si li 'virorum' construitur cum li 'centum' sic est composita, <si> cum li 'quinquaginta' sic est divisa.

Videtur quod composita oratio non sit quia ad hoc quod oratio sit composita oportet quod partes coniungantur inter se, sed partes orationis non possunt coniungi, quia dicit Aristoteles in praedicamentis quod oratio est quantitas discreta, et discretum non coniungitur cum discreto. Quare videtur quod oratio non sit composita.

Solutio. Triplex est oratio: in mente quae intelligitur, in scripto quae scribitur, et in pronuntiatione, et hoc dupliciter: aut <secundum> quod est vox prolata, et sic potest esse oratio composita vel divisa, et sic non est oratio discreta quantitas; aut secundum quod est mensura vocis prolatae, et sic est quantitas discreta et sic est oratio composita.

Item ad idem. Omne quod factum est indivisibile, ut legitur in libro Posteriorum, sed omnis oratio semel dicta est facta vel composita, ergo omnis oratio semel dicta est indivisibilis. Ergo sequitur quod nul/V 59vA/la oratio possit esse composita.

Dicendum ad [aliud quod] illud quod factum indivisibile hoc non intelligitur quantum ad rem factam, sed quantum ad ultimum instans in quo res est facta. [.../V60rA/...]

---

1. conveniens] consequens V.

<7.68> COMPOSITIONIS DUO SUNT MODI etc. [.../V 60rB...]

<= T 13vB, ubi vide.> Notandum quod 'dictum' accipitur tripliciter [... /V 60vA/ ...] Et sic patet qualiter aeqivocatio supponere potest.

Sententia litterae satis plana est.

<= T 13vB> Sed quaero hic unam quaestione<m>, utrum oratio secundum compositionem sit multiplex.

Et videtur quod sic:

Quia dicit Alexander commentator quod in compositione est multiplex potentiale;[1] ergo est ibi multiplicitas.

Item, ad idem. Nulli orationi debetur solutio per divisionem[2] nisi multiplici; sed orationes secundum compositionem sunt huiusmodi; ergo etc.

Item. Omnis oratio significans diversa est multiplex; sed orationes secundum[3] compositionem sunt huiusmodi; ergo etc.

Contrarium dicit Aristoteles in secundo Elenchorum plane.

Item. Multiplex est sub eadem plica multa capiens; sed in oratione secundum compositionem et divisionem non simpliciter est identitas; ergo ibi non est simpliciter multiplicitas.

Et hoc est concedendum, quia prius est multiplicitas in aequivocatione et amphibolia ubi[4] est simpliciter maior identitas quam in compositione et divisione, ubi[5] non est identitas nisi secundum materiam, unde ubi est maior identitas signi et diversitas significati, ibi est verior multiplicitas.

Et hoc est quod dicit.

<7.72> SECUNDUS MODUS COMPOSITIONIS. [...]

<= T 14rA-B, ubi vide> Notandum quod secundus [../V61rA/..] patet solutio.

[.../V 62vB/...]

<7.83; = T 15vB, ubi vide> Videtur quod verbum [.../V 63rA/...] esse habituale.

[.../V 63vB/...] <7.90; - T> Item, notandum quod triplex est intellectus, sc. agens, ut ille qui semper accipit et intelligit res in actu, ut corpora †qualificata, et ista intellectum eorundem in accidentale;† alius est intellectus potentialis, ut ille qui non intelligit res in actu, sed[6] est potentialis ad /V 64rA/ intelligendum omnia, unde dicitur in tertio De anima quod est natus imperfectus, unde est tamquam tabula rasa in qua nihil depingitur, perfectibilis tamen virtutibus et scientiis, et illi assimilatur multiplex potentiale; alius est intellectus phantasticus qui non accipit res veras sed †veritas† ut montes aureos et scalas aureas, et †ista earundem† multiplex phantasticum.

[../V 68rA/..]

<7.120> SEQUITUR DE FALLACIA SECUNDUM QUID ET SIMPLICITER [.../V 68rB/...]

---

1. multiplex potentiale V] multiplicitas potentialis T.
2. divisionem V] distinctionem T.
3. secundum T] *om.* V.
4. ubi T] et non V.
5. ubi T] *om.* V.
6. sed] scilicet V.

<= T 20vA, ubi vide> Videtur quod sequitur '<est> homo mortuus, ergo est homo'. [.../V 68vA/...] Quare[1] hoc non valet. Et hoc est quod dicit.

[.../V70rB/...]

<7.150> CONSEQUENTIARUM [.../V 70vA/...]

<= T 22rB> Notandum quod duplex est consequentia: accidentalis et naturalis.[2] Accidentalis est triplex, ut quando ex impossibili sequitur quidlibet,[3] ut 'si tu es asinus tu es capra', aut quando sequitur necessarium ad quidlibet,[4] ut si tu es hic, deus est; tertio quando tenet consequentia gratia materiae, ut 'si tu es hic, deus est ubique'. †et quod† ex[5] puris affirmativis in secunda figura nihil sequitur.[6] Naturalis est duplex, sc. simplex et composita, ut patet in principio[7] lectionis. Sed composita est duplex; quaedam est per coniunctiones[8] et haec est triplex, sc. per hanc coniunctionem 'si', ut 'si Socrates est homo est', quaedam per coniunctionem copulativam ut 'Socrates et Plato est, ergo aliquis homo est', quaedam per hanc coniunctionem 'vel', ut 'Socrates currit vel Plato, ergo aliquis homo currit'; alia autem est per praepositiones, et haec est duplex, quaedam est in ipso et quaedam econtrario, ut patet in littera. [.../V 72vB/...]

<Tractatus VIII de relativis>

<8.1> RELATIVUM EST DUPLEX

<Superius> determinavit Auctor de partibus syllogismi. In parte ista determinat de quibusdam proprietatibus partium syllogismi, ut de relativis et de aliis capitulis sequentibus. [.../V 73rB/...]

Tertio notandum quod differentia est inter referre et supponere, quia relatio est per comparationem[9] <ad> rei praecedentis intellectum. sed suppositio est in comparatione ad verbi consequentis actum; unde referre est dare intelligere antecedens,[10] sed supponere pro antecedente est cum[11] actus verbi sequentis convenit ipsi antecedenti.

Quarto notandum quod relativum identitatis in appellativis refert suum antecedens †sub eadem posito, indefinitis sub opposito praedicari†. Exempla patent.

Item nota quod duplex est antecedens, realis et vocalis; relativum reciprocum non habet nominativum vocalem sed realem quia est nominativus casus intellectus in verbo. [...]

<8.7> SOLET AUTEM QUAERI. [... /V 73vB/ ...]

---

1. quare] quia V.
2. naturalis T] materialis V.
3. quidlibet T] quodlibet V.
4. sequitur necessarium ad quidlibet] ad necessarium sequitur quidlibet T; sequitur quodlibet V.
5. et quod ex] et quod T; ex V.
6. nihil sequitur T] *om.* V.
7. patet in principio T] principiis(?) V.
8. quaedam - coniunctiones *geminavit* V.
9. comparationem] compositionem V.
10. antecedens] consequens V.
11. cum] autem V.

Solutio. Dico <quod> negatio dicitur multipliciter. Quaedam est negatio quae principaliter est intellecta et[1] principaliter significata ut 'non'; alia est quae non est principaliter intellecta nec principaliter significata ut 'homo albus' et non niger, et similiter in omni alia dictione.[2] Alia est negatio quae est principaliter /V 74rA/ intellecta et ex consequenti[3] significata, ut in dictionibus exclusivis et exceptivis ut 'solus' "non cum alio". Unde dico quod loquendo de duabus primis negationibus non sequitur: 'est aliud [ergo] ab animali, ergo est aliud ab homine'; sed loquendo de negatione [est] tertio modo †differentia† quae habet mediam naturam in<ter> utramque primarum, sc.[4] inter primam et secundam, bene sequitur. [...] /V 74vB/

<Tractatus 9, De ampliationibus>

<9.1> PERSONALIS SUPPOSITIO. [.../V 75rA/ ...]

<= T 50vB> Item,[5] quaedam sunt verba quae ampliant ratione significationis et hoc tripliciter: quaedam ampliantur ad futura[6] ut 'potest' et 'contingit'[7], quaedam ad praeterita ut 'solet', quaedam ad utrumque ut 'opinatur'[8]. Et causa huius est notanda, quod tempus est in verbo ratione rei verbi, unde in se tempus et absolute inest verbo, et magis est accidens[9] essentiale verbo quam aliquod aliud[10] accidens, unde tempus primo ampliat rem verbi, et res verbi ampliat compositionem, et compositio ampliat extrema et subiectum est unum extremum, ergo tempus ampliat subiectum. Similiter hoc verbum 'potest' ratione significationis primo ampliat rem verbi, et res verbi[11] ampliat compositionem, et compositio ampliat[12] extrema, quare[13] a primo verbum ampliat subiectum quod est unum extremum. Ita cum subiectum sit unum extremum hoc verbum 'potest' ampliat subiectum. Et sic intelligas de aliis.

<Cf. T 50vB> Videtur quod ampliatio sit <restrictio>. Extremum restrictio coartat a maiori suppo<sitio>ne ad minorem, sed ampliatio est huiusmodi, ergo etc. Terminus habet naturalem[14] suppositionem et stat pro praesentibus et praeteritis et futuris, sed in oratione habet accidentalem[15] ut 'homo potest esse Antichristus' et stat solum pro praesentibus [praeteritis] et futuris, quare[16] ampliatio est restrictio.

---

1. et] nec V.
2. dictione *vel forte* oratione V.
3. consequenti] contingenti V.
4. sc.] sed V.
5. Item T] In V.
6. futura V] futurum T.
7. potest et contingit] contingens T.
8. opinatur] opponatur V.
9. accidens V] *om.* T
10. aliquod aliud] aliud T; aliquod ad V.
11. res verbi V] *om.* T.
12. ampliat] *om.* T.
13. quare T] quam V.
14. naturalem] veram T.
15. habet accidentalem] hac accidentali V.
16. quare] quam V.

Solutio. Dico quod duplex est suppositio termini, una est extra orationem ut naturalis, alia in dictione[1]. Et loquendo de suppositione extra orationem[2] terminus non[3] potest ampliari per verbum. Si[4] autem loquamur de suppositione accidentali quam habet terminus in oratione /V 75rB/ tunc bene potest esse ampliatio et restrictio. Primo modo proceddit obiectio, secundo modo non.

Ut autem melius intelligantur ea quae dicuntur in littera, sciendum quod hoc verbum 'potest' et verba quae habent virtutem ampliandi dicunt duo, dicunt potentiam eveniendi cum quadam praesentialitate illius potentiae. Similiter 'solet' dici<t> praeteritionem cum essentialitate illius praeteritionis †exemplum debet poni potentialiter est potentiale potens† 'solet dicere' "est consuetus dicere" †ratione gratia verbi de praesenti, sed est† facit terminum stare pro futuris, et ita de aliis verbis[5] vim habentibus ampliandi. Vel dicitur aliter ab aliis quod praedicatum[6] in ratione significationis facit terminum[7] stare pro futuris, ratione vero temporis praesentis quod significat terminum[8] facit stare pro praesentibus, et ita †est supponens habent† virtutem standi pro praesentibus et futuris.

Item sciendum quod negatio determinat verbum ratione compositionis, et est adiectivum verbi; cum autem adiectivum et substantivum sint idem numero, sicut negatio importat omne tempus, ita compositio verbi ampliatur ab ipso ut stet pro omni tempore, compositio[9] dat naturam suam extremis, ideo extrema ampliantur, ut stent pro omni tempore, sic dicendo 'homo non[10] est animal'.

Item sciendum quod ampliatio non dicitur respectu suppositionis naturalis, sed respectu suppositionis accidentalis, quando terminus restringitur pro praesentibus; respectu enim illius suppositionis stat terminus pro praesentibus, respectu alterius non. Et hoc est quod dicitur.

<Tractatus 10-11, De appellationibus & restrictionibus>

<10.1> APPELLATIO EST etc.

Superius determinavit Auctor in nono capitulo de ampliationibus, hic determinat in decimo capitulo de appellationibus[11] et dividitur in tres partes. In prima dicit quid est ampliatio. In secunda dat differentiam inter ampliationem et significationem et suppositionem. In tertia dividit appellationem. Secunda ibi differt autem appellatio, tertia ibi appellationi. Tunc sequitur illa /V 75vA/ pars quae incipit ibi restrictio[12] <11.1>

---

1. in dictione] extra dictionem V.
2. suppositione — orationem] oratione extra ordinem V.
3. non T] vero V.
4. si] scilicet V.
5. verbis] vel V.
6. praedicatum T] peccatum V.
7. terminum] tamen V.
8. terminum] t(antu)m V.
9. compositio] compositum V.
10. non] necessario V.
11. appellationibus] ampliationibus V.
12. restrictio] restrinctio V, *et sic deinceps.*

et dividitur in duas. In prima determinat de ipsa in generali, in secunda in speciali. Secunda ibi restrictionum <11.2>. Illa pars in qua determinat de restrictione in speciali dividitur in duas. In prima determinat de restrictione facta per nomen. In secunda de restrictione facta per verbum. Prima est de praesenti lectione et dividitur in quinque. In prima ponit unam regulam, in secunda aliam, in tertia aliam, in quarta aliam, [secunda] in quinta aliam. Secunda ibi item determi[nati]o [et] restrict[i]o <11.6), tertia ibi <*** (11.7)>. Quarta ibi item de restrictione[m] facta per appellationem <11.8>, quinta ibi item de eadem restrictione <11.9>. Haec est sententia lectionis.

<= T 51rB, ubi vide> Notandum quod terminus communis triplicem habet comparationem.[1] [...] imponitur.

<= T 51rB, ubi vide> Item <duplex> est restrictio [...] substantiam nominis.

<= T 51rB, ubi vide> Item in termino est duplex qualitas [../V 75vB/..] restringit hominem.

<= T 51rB, ubi vide> Item, nota quod sicut concretum [...] vel generatam.

<= T 51rB-vA, ubi vide> Quaeritur de hoc quod dicit Auctor in Littera [.../V76rA/...] esse vilius.

<= T 51vA, ubi vide> Et ut melius cognoscatur [...] dicit Auctor. [../V 76vB/..]

<11.15> SOLET AUTEM QUAERI [../V 77rA/..]

<= T 52rB> Sed videtur adhuc quod in propositione affirmativa et negativa supponat terminus pro diversis.

1. Quia[2] haec propositio 'homo non est' est[3] falsa quia homo supponit pro praesentibus et pro existentibus, et[4] forma substantialis praesens est existens, et haec est falsa; et similiter[5] 'omnis homo est'; ergo duae contradictoriae sunt simul falsae. Probatio quod haec sit[6] falsa 'omnis homo est' quia si omnis homo est,[7] et[8] Caesar est homo, ergo Caesar est. Conclusio est falsa, ergo aliqua praemisssarum.[9] Non minor, ergo maior. Probatio minoris: haec est vera 'Caesar est Caesar'[10], sed[11] de quocumque praedicatur inferius et superius; quare[12] haec est vera 'Caesar est homo'.

2. Item. In libro Peri hermeneias dicitur[13] quod ad affirmativam[14] de praedicato infinito sequitur negativa de praedicato infinito,[15] ut 'homo est non iustus[16], ergo

---

1. comparationem] compositionem V.
2. quia T] quod V.
3. homo non est est] homo est non est T : homo non est V.
4. et V] quia T.
5. et similiter V] similiter et haec est falsa T.
6. sit V] est T.
7. quia — est T] *om.* V.
8. et *s.l.* V] *om.* T.
9. ergo aliqua praemissarum T] *om.* V.
10. Caesar V] *om.* T.
11. sed] idem TV.
12. quare] quia TV.
13. in libro Peri hermeneias dicitur] Peri hermeneias dicitur V; Aristoteles in libro Peri hermeneias T.
14. ad affirmativam V] affirmativa T.
15. sequitur — infinito T] *om.* V.
16. homo est non iustus V] est non homo T.

homo non est iustus'[1] et non econverso, †sic substantiam subiectum ponatur†[2], ergo /T 52vA/ vult quod in negativa supponat[3] pro non existentibus.

3. Item. In hac particulari[4] 'phoenix[5] non est' iste terminus 'phoenix'[6] supponit pro phoenice non existente; sed ipsa est particularis huius 'nulla phoenix est'; ergo ille terminus 'phoenix' supponit pro phoenice non existente; ergo terminus supponit pro[7] diversis in affirmativa et negativa.

Solutio.

<*Ad 1*> Ad primum dico quod in hac propositione 'Caesar est homo' hoc verbum 'est'[8] potest dicere esse actuale, et sic est vera. Si autem dicat esse habituale, sic est falsa.

<*Ad 3*> Ad alia duo[9] dico quod iste[10] terminus 'phoenix'[11] supponit tam pro existentibus[12] quam non existentibus; sed †modo†[13] supponit pro praesentibus, et 'homo'[14] similiter. Unde posset concedi[15] sine errore quod in negativa stat terminus[16] pro illis pro quibus[17] stat in affirmativa, et cum[18] pluribus.

Et notandum[19] hic ad intelligendum qualiter falsum habet[20] esse propter quoddam verbum quod duplex est falsum, sc. complexum et incomplexum. Falsum incom/V 77rB/plexum est non ens, falsum complexum est ens prout est ens natura[21], quia ens natura[22] commune est[23] ad decem praedicamenta, et falsum complexum est in praedicamento qualitatis. Si autem ens sit pro natura[24], tunc dicit[25] esse habituale. Si

---

1. ergo — iustus T] *om.* V.
2. sic — ponatur V] si substantia subiecta ponitur T.
3. supponat V] supponit T.
4. particulari] 'phoenix est' *add.* T.
5. phoenix *T*] phoenix prae<t>erita V.
6. iste terminus phoenix] ille terminus phoenix T; iste est terminus V.
7. phoenice[1] — pro T] *om.* V.
8. est V] *om.* T.
9. alia duo V] aliud T.
10. iste V] *om.* T.
11. phoenix T] *om.* V.
12. existentibus V] praesentibus T.
13. modo V] tamen semper T.
14. homo] est *add.* V.
15. concedi V] concedere T.
16. terminus V] phoenix T.
17. quibus V] quo 'homo' T.
18. cum V] etiam pro T.
19. notandum V] nota T.
20. habet V] con()et T.
21. est ens natura V] ens est nomen T.
22. natura V] nomen T.
23. commune est V] *ord. inv.* T.
24. sit pro natura(?) V] fit per nomina T.
25. tunc dicit T] *ord. inv.* V.

ergo[1] consideretur secundum[2] esse actuale[3] quod habet in rebus, tunc[4] non est ens. Si autem consideretur secundum esse quod habet in anima, hoc[5] dupliciter, aut quantum[6] ad intellectivam virtutem, et sic non est ens; aut quantum ad[7] virtutem imaginativam, et sic est ens, quia potest actualiter imaginari ab anima.

Item. Nota quod[8] rosa dicitur praesens[9] quando praesentialiter[10] esse repraesentatur intellectui per vocem[11] †fud()t ut exerius quando ei. Item esse actuale†[12].

Item. Nota quod forma[13] in se considerata dicitur[14] essentia, sed forma unita materiae dicitur esse, quod sc. esse resultat ex tali unione, †sed continuatio est dubitatio†[15] illius esse dicitur[16] existentia prout illud est[17] actuale.[18]

Item. Nota quod in substantiis esse procedit[19] ab essentia[20], et prius est[21] forma in se considerata quam sit unita[22] materiae, sed in accidentibus essentia[23] procedit ab esse, hoc est ab esse ipsius substantiae, quia subiecta[24] materia cum forma causa est omnium accidentium, ut vult Commentator De substantiis(!). Satis patet de accidentibus. Sic intellige: ex unione formae substantialis cum materia causatur esse substantiae, et ex illo esse causatur esse omnium accidentium.[25]

Item, nota quod esse et essentia differunt sicut abstractum et concretum, quia[26] esse notat formam esse[27] in materia, sed essentia[28] non.

---

1. ergo V] vero T.
2. secundum T] sed V.
3. actuale] Si vero consideretur secundum esse accidentale *add.* T *(dittographia].*
4. tunc V] sic T.
5. in anima hoc V] *om.* T.
6. quantum V] quo T.
7. intellectivam — ad T] *om.* V.
8. nota quod V] *om.* T.
9. praesens T] penes V.
10. praesentialiter T] potentialiter V.
11. repraesentatur — vocem V] praesentat intellectum per vocem T.
12. fud()t — actuale V] existentem, quando communiter praesentat esse in intellectum(!) T.
13. nota quod forma T] quod V.
14. dicitur] esse *add.* T.
15. sed — dubitatio V] sc. continuatio et dubitatio T.
16. dicitur] esse *add.* T.
17. est V] esse dicitur T.
18. actuale V] accidentale T.
19. procedit T] proceditur V.
20. essentia V] accidente T.
21. et prius est] quia prius est T; et prius esse V.
22. sit unita V] unita sic T.
23. essentia V] existentia T.
24. subiecta(?) T] sub(stanti)a V.
25. ut vult — accidentium T] *om.* V.
26. quia] abstractum *add.* T.
27. esse V] *om.* T.
28. essentia V] existentia T

Et quia locuti sumus[1] de essentia, nota quod essentia est duplex:[2] completa et incompleta.[3] Incompleta est essentia praeteritorum, ut essentia materiae et formae[4]; completa dicitur ut essentia totius compositi, et ista est essentia definitionis compositi[5] ex praedictis[6] essentiis. [.../V 78rA/...]

<12.7> HABITO QUID SIGNIFICAT HOC SIGNUM 'OMNIS' etc. [...]

<V 78rB = T 53vA, ubi vide>. Notandum quod in omni termino communi [...] omnis homo est species. [.../V 79rB/...]

<12.16> CIRCA PRAEDICTA QUAERITUR

Superius determinavit Magister de signis distributivis negativis. Hic/V 79vA/ ponit sophismata.[7]. Et haec pars dividitur in duas. [...] /V 80rA/[...]

Et si quaeret aliquis quid significet negatio, dicendum quod negatio quaedam est ut concepta, quaedam ut †significata†. Concepta est ila res quae est in anima per sui speciem; affectiva est illa quae est in anima per sui rem †nam†, ut si species doloris sit in anima, est conceptus dolor; si dolor sit in anima, tunc est affectus, quando anima vere dolet. Si ergo negatio sit concepta, hoc dupliciter: aut per modum quietis ut 'negatio, negationis', aut per modum motus ut in hoc verbo 'nego, negas'. Si vero sit negatio per modum affectus, sic est hoc adverbium 'non' importans negationem; sed illa negatio non <est> eius significatio sed eius officium, et significatio eius est quod significet divisionem, quam sine divisis non est intelligere, ut 'est' significat quandam compositionem quam sine compositis, i.e. extremis, non est intelligere, ut in hoc verbo 'est' principium cuiuslibet affectionis, sed non est principium cuiuslibet negationis. Et hoc quod dicit †Vergilius hominem dicentis nomen est quod secundo voluptet, i.e. cum est non nullus sed hominum et hoc est quod dicit†. [../V 81rB/..]

Finita est ista compilatio supra tractatus[8] a Magistro Roberto Anglico,
in qua †conati potest materiam explanandi dacio† Magistri Petri Hispani
anno domini m^{o} ducentesimo septimo mense Maii tertiadecima die
sole existente in Vir<gin>e octavo gradu Tauri ...
Finito libro sit laus et gloria Christo.

---

1. locuti sumus T] locus su()i V.
2. est duplex] *ord. inv.* T. duplex] *vel* dupliciter TV.
3. completa — incompleta] complexa — incomplexa T; *et sic deinceps in hoc paragrapho.*
4. et formae V] ... forma T.
5. et ista — compositi T] *om.* V.
6. praedictis V] dictis duabus T.
7. sophismata] sophistica V.
8. tractatus] tractans V.

Ex Glosulis
Roberti Anglici
super Tractatus Petri Hispani

T = Todi BC 54

[.../T2vA/...]

Sed antequam ad litteram accedamus, /T2vB/ quaedam videamus extra litteram. Quia ego video quod grammaticus definit nomen uno modo, logicus alio modo. Quaeritur ergo quae sit causa.

<Cf. V 5vA> Solutio. Dico quod grammaticus considerat generalia significata modorum significandi, sed logicus considerat specialia. Sed generale significatum nominis significat substantiam nominis et qualitatem modorum significandi sicut accidentia specialia. Speciale vero nominis significatum est significare istam rem vel illam, ut 'homo' significat hominem, 'lapis' significat lapidem. Propter hoc non debemus admirari si grammaticus definit nomen uno modo, logicus vero alio modo, quia diverso respectu important contrarietatem. [.../T3rA/...]

Quaeritur utrum inventio nominis sit necessaria. Et videtur quod non, quia Petrus Heliae[1] dicit quod nomen est inventum ut sit suppositum sive reddat †naturale verbi†, sed pronomen et participium reddunt suppositum verbo, ergo inventio nominis non est necessaria.

Contra. Priscianus dicit quod nomen est nobilius verbo et ordina<t> ipsum prius, sed inventio verbi est necessaria in arte, ergo inventio nominis potius erit necessaria.

Solutio. Dico ad argumenta quod inventio nominis est necessaria. Quando tu dicis "pronomen et participium reddunt suppositum verbo", hoc est per naturam nominis.

<≠ V 6vA> Dicitur autem in Littera quod omne nomen etc. Sed quod aliquod nihil significet probatio: 'Chimaera' est nomen; sed 'chimaera' nihil significat, ut probabo; ergo aliquod nomen nihil significat. Probatio minoris: si 'chimaera' significaret aliquid, aut significaret extra animam aut in anima; sed non significat hoc nec illud, ut probabo; ergo etc. Probatio: 'chimaera' non significat rem extra animam, quia chimaera nihil est in rerum natura, ergo non significat rem extra animam. Item non significat rem in anima, quia dicit Aristoteles "Nos non intelligimus nisi verum", in Posterioribus dicit "solum verorum est intellectus"; sed chimaera nihil est in rerum natura, nec cum intellectu nostro possumus intelligere chimaeram; ergo chimaera non significat aliquid, et per consequens nec alia(?).[2]

Ad idem. Caesar non est, et est nomen, sed 'Caesar' non significat aliquid, ut probabo; ergo etc. Probatio minoris: illud quod non est non significat aliquid, sed \Caesar/ non est, ergo non significat aliquid 'Caesar'; ergo videtur quod aliquod nomen non significet aliquid.

Ad idem. 'Nihil' est nomen, sed 'nihil' non significat aliquid, ergo aliquod nomen non significat aliquid. Quod [significet] 'nihil' non[3] significat aliquid probatio: si 'nihil' significaret unum,[4] \significaret/ aliquid, sed nihil et aliquid sunt opposita, ergo

---

1. Heliae] elye T. Cf. Petri Heliae Summa l.189 ed. Reilly.
2. alia] aliquid *De Rijk.*
3. non] *linea subducta fortasse vocem delendam esse indicavit* T.
4. unum] *vel* nomen T.

unum significaret oppositum alterius, quod est contra Aristotelem, ergo aliquod nomen non significat aliquid.

Contrarium patet in Littera.

Solutio. Omne nomen dico quod[1] significat aliquid.

Ad primum quod 'chimaera' significat rem quae est in anima. Et quando tu dicis quod non intelligimus nisi verum, dicendum[2] quod duplex est intellectus: purus, et secundum talem non intelligimus nisi verum; et intellectus mixtus cum phantasia, et secundum talem intelligimus chimaeram et multa alia quae numquam fuerunt in natura. Et sic 'chimaera' significat rem imaginatam in anima.

Ad aliud dicendum est quod 'Caesar' significat Caesarem. Unde tu deberes sic concludere: "Illud quod non est non significat aliquid esse, sed Caesar non est, ergo Caesar non [est ergo Caesar non] significat aliquid esse"; quod concedo; sed 'Caesar' significat Caesarem.

Ad tertium dico quod quaedam sunt nomina quae significant per [im]positionem, et sic 'nihil' non significat; et quaedam per privationem, et sic 'nihil' significat aliquid.

<1.5> VERBUM EST VOX etc. [... /T3rB/ ...]

Tertio nota quod tempus dicitur quadrupliciter. Primo idem quod dispositio aeris. Secundo idem quod habilitas faciendi. Tertio modo idem quod mensura motus rerum mutabilium. Quarto modo idem quod quidam modus intelligendi nostras actiones sub aliqua differentia temporis; et sic sumitur hic. [...]

<Cf. V 7vA> Quaeritur utrum tempus possit esse accidens verbi.

1. Et videtur quod non tali ratione: Omne illud quod ducit originem a natura non potest esse accidens illius quod est ab humana inventione; sed tempus ducit originem a natura, quia tempus est mensura motus etc.; verbum est ab humana inventione; ergo tempus non est accidens verbi.

2. Ad idem. Sicut tempus est mensura rei successivae, quae intelligitur per verbum, ita superficies est mensura rei permanentis, quae intelligitur per nomen; sed non est dicere quod superficies sit accidens nominis; ergo non est dicere quod tempus sit accidens verbi.

3. Item, ad idem. Omne accidens est ab intra; sed tempus est ab extra, cum sit mensura, et mensura est extra mensuratum; ergo tempus non est accidens verbi.

4. Praeterea, accidentia sunt principia construendi unam partem cum alia; sed tempus non est principium construendi unam partem cum alia; ergo tempus non est accidens verbi.

<*Ad 1-3*> Ad istam quaestionem et ad tria argumenta prima respondeo. Dico quod tempus potest considerari dupliciter: aut prout est res naturae, sc. mensura rerum etc., sic dico quod tempus non est accidens verbi; aut prout est quidam modus[3] intelligendi rem per modum motus et fieri sub aliqua differentia temporis, vel praeteriti vel praesentis vel futuri — et sic dico quod tempus est accidens verbi.

---

1. omne nomen dico quod] dico quod omne nomen *De Rijk.*
2. dicendum] *vel* dicendo T.
3. modus] motus T.

<*Ad 4*> Ad quartum respondeo quod quaedam sunt accidentia quae sunt principia construendi partem cum parte, ut genus, numerus etc. in nomine et in verbo genus est et tempus, et secundum talia accidentia tempus non est accidens verbi. Sunt enim alia accidentia quae sunt principia non construendi sed distinguendi unam partium ab alia, et sic dico quod tempus est accidens verbi, quia tempus maxime facit differre verbum a nomine.

<Cf. V 7vA> Quaeritur utrum tempus sit accidens verbi.Et videtur quod non:

1. Quia illud quod est a natura non erit accidens illius quod est ab humana inventione; sed tempus est a natura, verbum ab humana inventione; ergo tempus non est accidens eius.

2. Item, ad idem. Tempus est mensura motus rerum mutabilium, similiter et locus; sed locus non est accidens verbi; ergo nec tempus.

Item, ad idem. Prius non debet esse accidens et verbum posterius. Sed tempus prius est quam verbum. Ergo tempus non est accidens eius.

Solutio. Ad hoc dicendum quod tempus est accidens verbi.

<*Ad 1*> Ad argumentum. Quando tu dicis quod illud quod est a natura non est accidens illius quod est ab humana inventione, sed tempus est huiusmodi, ergo etc. — dicendum quod tempus se habet ut accidens, et est accidens verbi alterum tempus quod est ut quidam modus intelligendi actiones(?) nostras sub aliqua differentia temporis: tale est accidens verbi.

<*Ad 2*> Ad idem quando tu dicis quod ipse est mensura motus rerum mutabilium et locus similiter, dicendum quod non est simile de loco et de tempore, quia tempus est mensura motus etc., sed locus est corporalium(?) et spiritualium, et sic non est accidens verbi. [../T3vA/..]

<1.6> ORATIO EST VOX SIGNIFICATIVA etc. [...]

Quinto nota quod 'sensus' dicitur [mul] /T3vB/ multis modis. Primo dicitur virtus apprehensiva de foris. Alio modo idem est quod intellectus ut dicit Priscianus: "quod enim paratur sensibile i.e. intelligibile". Alio modo idem est quod significatio. Unde dicit grammaticus quod ista dictio habet plures sensus, i.e. plura significata. Alio modo sensus idem est quod sententia, et sic sumitur hic cum dicit "perfectum sensum generat", i.e. perfectam sententiam. [...]

<Cf. V 8rA-B> Quaeritur utrum propositio sit vera vel falsa.

1.1 Quod non sit vera probatio: Signum non est id cuius est signum; sed propositio est signum veritatis et falsitatis; ergo propositio non est vera.

1.2 Ad idem. Dicit beatus Anselmus[1]: "Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis"; si[2] veritas est in sola mente, ergo non est in propositione; ergo non est vera propositio.

1.3 Item, ad idem. Quando subiectum et praedicatum non sunt in eodem, tunc non est propositio vera; sed hoc[3] subiectum propositionis est in genere quantitatis, et hoc

---

1. Anselmus] Anshelmus T.
2. perceptibilis si] perfectibilis sed T.
3. hoc] hic T.

praedicatum est in praedicamento qualitatis; quare patet quod non sunt in eodem nec propositio est vera.

<*2.1* ***>

2.2 Item, ad idem. Scribitur ab Aristotele in libro De anima "Sicut componimus, ita intelligimus"; item ab ipso scribitur in libro Posteriorum quod intellectus solum verorum est; ergo omnis compositio vera; sed omnis propositio est composita; ergo omnis propositio \est/ vera.

Ad istam quaestionem respondeo: quaedam propositio <est> vera, quaedam falsa.

<*Ad 1.1*> Ad primum. Quando tu dicis quod signum etc., respondeo quod propositio non est vera nisi in hoc quod est signum veritatis, et est ibi propositio significatum sive signum significati.

<*Ad 1.2*> Ad secundum. Quando tu dicis quod veritas est rectitudo, respondeo quod veritas est in mente ut in suo subiecto, in propositione vero ut in suo signo.

<*Ad 1.3*> Ad tertium. Quando tu dicis quod subiectum et praedicatum etc., respondeo quod auctoritas sic est intelligenda quod subiectum et praedicatum non sunt in eodem vel esse non possunt, unde quamvis subiectum et praedicatum non sint in eodem genere, tamen possunt esse in eodem, quia in anima per intellectum.

Ad argumenta quae probant quod propositio sit vera respondeo.

<*Ad 2.1*> Primo ad primam. Quando tu dicis "esse et verum convertuntur", dico quod duplex est verum, sc. complexum et incomplexum; <in>complexum ut esse unius rei, id est unius †orationis†, et de tali intellexit Aristoteles quando dicit esse et esse verum convertuntur; esse complexum erit propositionis, et illud non convertitur, quare propositio potest esse vera vel falsa.

<*Ad 2.2*> Ad aliud. Respondeo quod duplex est intellectus: intellectus purus est divinus et angelicus, de tali intellexit Aristoteles; intellectus mixtus vel phantasticus qui habet se indifferenter ad utrumque, sc. ad verum et ad falsum, et hoc modo compositio potest esse vera vel falsa.

<Cf. V 5vB> Nota differentiam inter congruitatem et perfectionem et veritatem. Quia congruitas est ex debita convenientia accidentium et modorum significandi essentialium, et dico "accidentium" quia adiectivum cum substantivo debet convenire in genere et in numero et in casu; et dico "modorum significandi essentialium" quia cum dico 'omnis Socrates', ibi est adiectivum cum substantivo et convenientia accidentium, sed tamen non erit iste modus significandi essentialis, quia 'omnis' est divisivum et 'Socrates' non, quare male dicitur 'omnis Socrates'.

Perfectio etiam venit ex debita convenientia suppositi cum apposito, hoc est nominis cum verbo ex parte ante, et dico bene "nominis cum verbo" quia ad hoc quod oratio perfecta sit quattuor sunt necessaria: nomen cum verbo et debitus casus qui respondeat verbo finito et debitus numerus et debita persona.

Nota quod partes propositionis sunt duplices: partes principales et non principales. Partes principales sunt illae quae possunt subici et praedicari, ut subiectum et praedicatum; partes non principales sunt illae quae non subiciuntur nec praedicantur, sed <sunt> dispositiones subiecti et praedicati. [...]

<1.7> PROPOSITIONUM ALIA EST CATEGORICA etc. [../T4rA/..]

<- V> Quaeritur utrum animal brutum possit[1] facere propositionem.

Et videtur quod sic. Canis sequitur dominum tamquam amicum et alium tamquam inimicum; sed hoc non esset nisi faceret penes animam istam propositionem 'Dominus e<s>t amicus et alius est inimicus'; ergo videtur quod animal brutum possit facere propositionem.

Item, ovis fugit lupum tamquam inimicum et sequitur canem tamquam amicum; et hoc non esset nisi faceret penes animam istam propositionem 'lupus est inimicus et canis est amicus'; ergo etc.

Similiter videmus quod apes faciunt regem qui eas regit, ut dicit Aristoteles in libro De animalibus; et noc faciunt ex ratione animae, ut videtur; ergo etc.

Contra. Cuius non est cognoscere convenientias et differentias, quae pertinent ad animam rationalem, eius non est facere propositionem.

Quod concedo. Respondeo primo ad quaestionem quod animal brutum non potest facere propositionem, quia propositio inventa est ad exprimendum ea quae homo habet in anima, et pertinet sic ad animam rationalem.

Ad argumenta. Cum tu dicis quod canis sequitur dominum ut amicum et ovis fuit lupum ut inimicum, hoc est ex instinctu et non ex discretione [2]animae. [.../T4rB/...]

<1.9> ITEM PROPOSITIONUM CATEGORICARUM ALIA [EST UNIVERSALIS] etc. [...] Haec est sententia lectionis in generali et in speciali.

<- V> NULLUS HOMO LEGIT PARISIUS NISI IPSE SIT ASINUS.

Probatio. Eius contradictoria est falsa, sc. haec 'aliquis homo legit Parisius nisi ipse sit asinus'; ergo prima vera.

Sed contra. Duae affirmativae non sunt contradictoriae; sed illae sunt affirmativae, ut patet, quia propositio non est negativa nisi negatio ponatur ad verbum magis principale; <***> ergo sunt affirmativae; ergo non sunt contradictoriae; ergo prima falsa.

Contra. Tu †tamen† dicis 'nullus homo legit Parisius nisi ipse sit asinus', id est si aliquis homo legit Parisius ipse est asinus; sed hoc est falsum; ergo et primum.

Solutio. Dico quod prima est falsa.

Respondeo ad argumenta.

Ad probationem. Quando tu dicis "Eius contradictoria est falsa[3]" etc., dico quod non sunt contradictoriae, quia ambae sunt affirmativae, et duae affirmativae non possunt esse contradictoriae; ergo prima est falsa, quod concedo.

Quod homo sit asinus probatio. Dicit Augustinus "Posse et velle convertuntur apud deum"; sed deus potuit te facere asinum; ergo voluit te facere asinum; sed quicquid voluit fecit; ergo te fecit asinum; ergo tu es asinus.

Solutio [.../T4vB/...]

<- V> Quaeritur quarto de ista 'Wilhelmus legit' utrum sit singularis [...]

<1.11> ITEM PROPOSITIONUM CATEGORICARUM QUAEDAM PARTICIANT[4] etc. [.../T5rA/...]

---

1. possit] posset T.
2. instinctu — discretione *scripsi*] intellectu et non ex distinctione T.
3. falsa] vera T.
4. participant] com T.

<- V> OMNIS HOMO EST UNUS SOLUS[1] HOMO

Hoc est sophisma.

Probatur sic: Socrates est unus solus homo, Plato est unus solus homo, et sic de singulis, ergo prima vera.

Contra. Hic praedicatur oppositum de opposito; ergo falsa.

Solutio. Dico quod prima est vera simpliciter.

Respondeo ad argumentum. Cum tu dicas "Hic praedicatur oppositum de opposito", quod non est verum, quia numquam 'omnis' est subiectum nec pars subiecti, sed hoc totum 'omnis homo' est subiectum, hoc totum 'solus homo' hoc est praedicatum.

Quod solutio non sit bona probatur per tria argumenta.

Primum est tale: Dicit Aristoteles in Elenchis "Solus idem est quod non cum alio significans"; sed quando tu dicis 'omnis homo est unus solus homo' hic[2] significatur cum alio, id est cum solo homine; ergo solutio non est bona.

Ad hoc respondendum est et dicendum quod licet 'solus' significat "non[3] cum alio", tamen ambae possunt esse verae, 'solus' pro solo homine, 'omnis' pro omni homine, unde quamvis essent ibi sex vel mille, tamen quilibet homo esset unus solus homo per se.

Item, ad idem. Homo est ens per se individuum et ab aliis divisum; sed quando tu dicis 'omnis homo \est/ unus solus homo', inde dividitur ab aliis; quare solutio non est bona.

Ad hoc dicendum quod 'unus' tenetur duobus modis, sc. prout est dictio syncategorematica vel categorematica. Si 'unus' teneatur syncategorematice, sic dico quod li(?) homo separatur ab aliis, quia tunc 'unus' dicit mihi privationem multitudinis, et sic dicit discretionem. Si 'unus' teneatur categorematice, sic dico quod †attrahit† multitudinem, et non dividitur ab aliis, et sic est falsa.

Item, ad idem. <Idem> est dicere istum hominem <et> solum hominem; sed haec est falsa 'omnis homo <est> ille homo', <eergo> et haec 'omnis homo est unus solus homo'.

Ad hoc dico quod verum est, tamen non reputatur pro eodem, et sic non valet argumentum. [../T5rB..]

<1.13> PROPOSITIONUM TRIPLEX EST MATERIA etc. [../T5vA/..] Haec est sententia lectionis in generali et in speciali.

<- V> TU NON CESSAS COMEDERE FERRUM

Hoc est sophisma propositum.

Et probatur sic: Eius contradictoria est falsa, sc. 'tu cessas comedere', quia[4] numquam incepisti; ergo prima vera.

Contra. Tu non cessas comedere ferrum, ergo comedis et comedes; quod falsum est; ergo et prima.

Solutio. Dico quod ibi est fallacia consequentis. Et est ibi regula magistralis quod quando fit processus ab una propositione habente duas causas veritatis ad unam istarum,

---

1. unus solus] solus unus T.
2. hic] hoc T, *ut videtur.*
3. significat non] non significat T.
4. quia] quod T.

est fallacia consequentis; et sic est in illa 'Tu non cessas comedere ferrum', i.e. "comedis et comedes", vel "non comedis nec comedes", et illae duae procedunt ab[1] hoc quod est 'comedere ferrum', ego est fallacia consequentis.

Circa illud sophisma quaeritur utrum famescentis sit petere comedere ferrum.

Et probatur quod sic in hunc modum: Dicit Aristoteles in libro De anima quod fames est appetitus calidi et sicci; sed ferrum est calidum et siccum in sui natura; ergo famescens debet petere ferrum ad comedendum.

Ad hoc dicendum quod illa propositio habet sic intelligi, sc. 'fames est appetitus calidi et sicci' hoc est sapidi; sed ferrum non est saporabile; quare patet solutio.

Item, ad idem. Dicit Ptolomaeus quod Mars nutrit virtutem digestivam quia est complexionis calidae et siccae; sed ferrum est eiusdem complexionis quia calidae et siccae; ergo ferrum est appetendum ad comedendum.

Ad hoc dicendum quod ferrum non est eiusdem complexionis, quia est de materia terrae, quia quattuor elementa non nutriunt; et ideo non sequitur.

Oppositum videtur. Quod non nutrit, non est eligendum; sed ferrum non nutrit, ut dictum est; ergo non eligendum.

Quod concedo. [.../**T5vB**...]

<1.14> LEX CONTRARIORUM TALIS EST etc. [... /**T6vB**/ ...]

Ex praedictis patet unum valde bonum notabile, quod haec oratio non potet converti 'Ciceronem videt filius suus', cum non sit propositio. Et quod non sit propositio patet, quia constat quod non potest esse maior in prima figura, cum sit singularis; nec[2] potest esse minor, cum istud relativum 'suus filius' non possit esse subiectum propter incongruitatem quam[3] oportet facere si deberet esse maior. [.. /**T7rA**/ ..]

Similiter haec est falsa 'quidam homo est mortuus' et convertitur in falsam sic: 'ergo quoddam mortuum est homo'. Quod haec sit falsa 'quidam homo est mortuus', licet sit famosa, patet, quia no<me>n imponitur ad significandum primo ex forma, consequenter ex materia et forma, ut habetur octavo Metaphysicae; aggregatum ex materia et forma, sc. anima, non est mortua; sed corpus est mortuum sive cadaver. Sic etiam patet per hoc quod habetur in septimo Metaphysicae, videlicet quod singularia non habent †nomina†[4], sunt[5] enim in materia quae potest esse vel non esse †et sequitur prima† definitio aut est eorum quae non possunt aliter se habere; sed constat quod [id] idem significat definitum quod definitio; ergo significatum nominis est eorum quae non possunt aliter se habere; quare hoc nomen 'homo' imponebatur ad significandum aggregatum ex corpore et anima sine omni differentia rationis, non autem imponebatur ad significandum vivum vel mortuum vel esse vel non esse, sic enim aliquid significaret nomen, quod est contra Aristotelem tertio De anima, qui dicit quod indivisibilium intellectus, quorum non est veritas; et in libro Peri hermeneias "Verba per se dicta nomina sunt et significant aliquod", haec non significant esse vel non esse.

---

1. ab] ad **T**.
2. nec] non **T**.
3. quam] quod **T**.
4. nomina] definitiones *scribendum esse videtur.*
5. sunt] habent **T**.

Sed sciendum quod oportet pueros cavere sibi ne capiantur in conversione[1] orationum quae non sunt indicativae, sic dicendo 'Adesto mihi deus', haec enim non sunt propositiones, et ideo converti non possunt. [.../T7rB/...]

<- V> OMNIS ANIMA EST IN TE

Hoc est sophisma. Et probatur sic: Anima vegetativa est in te, anima sensitiva est in te, anima intellectiva est in te, et non sunt plures animae; ergo omnis anima est in te.

Contra. Anima canis est anima, ergo anima canis est in te; quod est falsum; ergo et primum.

Solutio. Dico quod hoc signum 'omnis' potest distribuere[2] pro speciebus vel pro individuis. Si pro speciebus, sic est vera et est sensus: 'omnis anima est in te' id est "cuiuslibet speciei animae una potentia(?) est in te", quod est verum. Si pro individuis, tunc est falsa, et est sensus: 'omnis anima est in te' id est "quodlibet individuum animae est in te"; hoc est falsum.

Quod anima non sit in te probatio. Dicit Commentator super tertium De anima quod omne receptum est in recipiente per naturam recipientis; ergo si anima est in te, erit per tui naturam; sed tu es corpus; ergo anima erit corporalis, quod est impossibile; ergo anima non est in te.

Solutio. Dico quod illa propositio habet intelligi "omne receptum est in recipiente per naturam recipientis, hoc est de illis quae recipiunt formam per impressionem[3], ut cera quae recipit formam sigilli per impressionem; sed homo non recipit animam per impressionem; quare non sequitur.

Item, ad idem. Si anima esse in te, esset in loco; sed anima non est in loco, ut vult Auctor Sex Principiorum, cum dicit "Nusquam est anima", hoc est non est in loco; ergo anima non est in te.

Solutio. Dico quod aliquid est in loco dupliciter, aut replendo locum aut determinando locum. Si replendo locoum, sic anima non est in te. Si determinando locum, sic anima est in te, quia anima ita determinat sibi locum, quia si est hic non est ibi; et hoc modo est anima in te. [.../T7vA/...]

<1.17> AD VERITATEM CONDICIONALIS EXIGITUR etc. [... /T8rA/ ...]

<- V> LEGITUR VERGILIUM

Quaeritur de ista latinitate utrum congrua sit vel incongrua, perfecta vel imperfecta.

Ad hoc dicendum quod est congrua et perfecta simplicitur secundum Petrum Heliae, qui dicit sic quod hoc verbum 'legitur' habet duplicem comparationem, unam secundum quod dicitur ab hoc verbo 'lego, -gis', quando est absolutum, tunc exponitur sic: 'legitur' id est "lectio fit", et tunc est incongrua et imperfecta. Aliter exponitur secundum quod dicitur ab hoc verbo 'lego, -gis' quando est transitivum, et tunc exponitur sic: 'legitur' id est "indicat legere", et sic est congrua et perfecta.

Alia quaestio est a qua privatione personae dicitur impersonale. Ad hoc dicendum quod triplex est persona. Prima est res verbi. Alia est personalis proprietas, et haec est triplex, sc. <prima,> secunda, tertia; et de istis tribus privatur. Alia est quae vocatur

---

1. conversione] conclusione T.
2. distribuere] distribui T.
3. impressionem] impressivum T.

suppositiva, et est duplex: secundum rectum aut secundum obliquum; si secundum rectum, sic a tali privatur; si secundum obliquum, sic construitur cum obliquo, ut 'legitur Vergilium'.

Alia est quaestio quare verba impersonalia passivae vocis fuerunt inventa. Ad hoc dicendum quod quaedam sunt verba quae significant actionem et passionem, actionem sub voce activa ut 'amo, -mas', passionem sub voce passiva ut 'amor, -ris'. Alia significant passionem sub voce activa ut 'paenitet' et 'pudet[1]. Alia sunt quae significant actionem sub voce passiva, et haec sunt verba impersonalia ut 'legitur'.

Item, quod male dicatur 'legitur Vergilium' patet, quia Priscianus dicit quod \im/personalia passivae vocis cum dativo vel cum ablativo construuntur; sed sic est 'legitur'; ergo debet construi cum dativo vel ablativo.

Ad hoc dico quod secundum significationem quae importatur[2] a verbo activo construitur cum accusataivo.

Ad idem. Quicquid est verum de expositione et de exposito; sed 'legitur' sic exponitur "id est lectio fit"; sed male dicitur 'lectio fit Vergilium'; ergo male dicitur 'legitur Vergilium'.

Solutio. Dico quod hoc quod dico 'legitur Vergilium' habet duplicem expositionem: unam habet ab hoc quod dico 'le<go,> -gis' quando est absolutum, et hoc sic: 'legitur' id est "lectio fit", et sic non construitur cum accusativo. Aliter exponitur ab hoc verbo 'lego, -gis' quando est transitivum, et tunc exponitur sic: 'legitur' id est "indicat legere", et sic construitur cum accusativo.

Contra. Qualemcumque constructionem habet verbum activum et omne descendens ab ipso; sed 'lego, -gis' construitur cum accusativo; ergo et 'legitur'.

Primo nota quod differentia est inter convertibilitatem, aequipollentiam et convertentiam; quia aequipollentia est in propositionibus idem valentibus; convertibilitas est in terminis, ut 'homo est, ergo risibile est'; convertentia est in relativis, ut dicit Aristoteles: relativa per convertentiam se habent ut 'pater' et 'filius'.

Secundo nota quod prima regula est quod quicquid negatio invenit destruit et mutat in oppositum, ut patet in hoc /T8rB/ quod dico 'non omnis homo', quia illa propositio prius erat universalis et affirmativa,[3] modo est particularis et negativa.

Contra. Nullum agens destruit seipsum, sed negatio adveniens negationi est agens, ergo non destruit se ipsam.

Verum est de agente per se, non per accidens. [...]

<1.19> MODUS EST ADIACENS etc. [...] /T8vA/

<- V> TANTUM VERUM OPPONITUR FALSO

Hoc est sophisma ad propositum.

Et probatur sic: Verum oppponitur falso, et non aliud quam verum; ergo tantum verum opponitur falso.

Contra. Album opponitur nigro, ergo non tantum verum opponitur falso.

---

1. pudet] pedet T.
2. quae importatur] quam importat T.
3. et affirmativa] erat T.

Solutio. Dico quod hoc quod dico 'opponitur' potest dicere oppositionem contrariam vel contradictoriam. Si contrariam, sic est falsa, et est sensus: "tantum verum opponitur falso oppositione contraria", sed album opponitur nigro, ergo prima falsa. Si oppositione contradictoria, sic est vera, et est sensus: "tantum verum opponitur falso contradictorie", et hoc est verum, ergo et primum.

Quaeritur utrum distinctio valeat.

Et videtur quod non: Inter antecedens et consequens non cadit distinctio, quia distinctio est inter diversa, sed falsum est antecedens ad verum, ut dicit Aristoteles in Prioribus "Ex falso sequitur verum".

Solutio. Inter ipsa non cadit distinctio; ergo distinctio nulla; ergo cum tu dicis quod ex falso sequitur verum, hoc est <in> inferendo et non in probando. [.../T8vB/...]

Quaeritur quare adiectivum verbi non ponitur sub eadem parte orationis cum verbo.

Et videtur quod deberet sic: Sicut se habet adiectivum nominis ad nomen, sic se habet adiectivum verbi ad verbum. Sed adiectivum nominis ponitur sub eadem parte orationis. Ergo et adiectivum verbi.

Solutio. Dico primo ad quaestionem, quod adverbium ponitur tribus de causis. Prima est quod adiectivum nominis convenit cum nomine in modo significandi, sed aidectivum verbi non. Alia est causa quia substantivum nominis dicitur ut per se stans, sed verbum non est per se stans quia actus verbi dependet a substantia, ideo non reponitur sub eadem parte orationis.

Ad argumentum dico quod non est simile de adiectivo nominis et adiectivo verbi, quia adiectivum nominis convenit cum nomine in modo significandi, sed adiectivum verbi non, sed in ratione significationis.

<≠ V 16vA-B> Item quaeritur utrum adverbium possit esse adiectivum verbi.

Et videtur quod non tali ratione:

1. Sicut se habet adiectivum nominis ad nomen, sic se habet adiectivum verbi ad verbum. Sed adiectivum nominis est nomen, ergo adiectivum verbi est verbum. Sed adverbium non est verbum. Ergo adverbium non est adiectivum verbi.

2. Ad idem. Verbum significat actum, adverbium locum et tempus. Sed locus et tempus non sunt dispositiones ipsius actus verbi. Ergo adverbium non <est> adiectivum verbi.

3. Ad idem. Adiectivum nominis et substantivum sunt idem numero. Sed adverbium et verbum non sunt idem numero cum differant specie. Ergo adverbium non est adiectivum verbi.

Contrarium patet per Auctorem et Priscianum.

Ad istam quaestionem dico quod adverbium est adiectivum verbi.

<*Ad 1*> Ad primum argumentum, quando dicitur "Sicut se habet adiectivum nominis etc.", dico quod illa similitudo non est bona, quia adiectivum nominis convenit cum nomine in modo significandi, sed adiectivum verbi non convenit cum verbo in modo significandi, quia verbum significat agere vel pati, adverbium non, sed dispositiones illius actus verbi.

<*Ad 2*> Ad secundum argumentum, quod adverbium significat tempus, respondeo per interemptionem. Et dico quod locus et tempus sunt dispositiones actus verbi, quia tempus est mensura motus, i.e. actus. Et quia actus sive actio non potest fieri nisi in

tempore et mensuratur, et in aliquo loco, ideo dico quod locus et tempus sunt dispositiones actus verbi, et sic adverbium est adiectivum verbi.

<*Ad 3*> Ad tertium quando dicitur quod adiectivum et substantivum sunt idem numero ergo etc., dico quod illa similitudo non est bona, quia adiectivum nominis convenit cum suo substantivo in modo significandi, quia utrumque significat substantiam cum qualitate, sed non sic est de adverbio et verbo, quia verbum significat agere et pati, adverbium non, sed dispositiones ipsius, quare non valet. [.../T9rA/...]

<- V> ITE MISSA EST DEO GRATIAS

Quaeritur utrum ista latinitas sit congrua vel incongrua, perfecta vel imperfecta.

Solutio. Dico quod est triplex consideratio. Una in hoc quod dico "Ite", alia est in hoc quod dico "missa est", tertia in hoc quod dico "deo gratias". Cum dico "Ite" intelligitur "Vos ite", quia ille qui orat istum sermonem voluit [vel] praecipere astantibus in ecclesia ut recederent. Alia est consideratio in hoc quod dico "missa est", et exponitur sic: 'missa est' "finita" vel "determinata", et bene dicit "finita" vel "determinata" reddendo causam astantibus quare ipsi debeant recedere. Alia consideratio est in hoc quod dico "deo gratias", et exponitur sic: "agamus deo gratias", et bene dicit "agamus", quia cum dicit in prima(?) "Vos ite" hic praecipit aliquid agere, et cum dicit "missa est" finita vel determinata, ideo bene dicit "agamus deo gratias. [.../T10rB/...]

<*Tractatus II. De praedicabilibus*> T 10rB-12vB + 37rA-vB

<2.1> PRAEDICABILE SUMITUR DUPLICITER etc. [...]

<- V> ECCE HOMO

Quaeritur utrum ista latinitas sit congrua vel invongrua, perfecta vel imperfecta.

Ad hoc dico quod est perfecta et congrua secundum intellectum, incongrua et imperfecta quantum ad sensum, quia intelligitur hic hoc verbum 'audi' vel 'vide', quia cum dico 'ecce homo' 'audi' intelligitur vel 'vide, homo est hic'.

Quod solutio non valeat probatio. Sicut se habet adiectivum nominis ad verbum, ita se habet adiectivum verbi ad nomen. Sed adiectivum nominis non habet construi cum verbo sine suo substantivo. Ergo nec adiectivum verbi poterit construi cum nomini sine suo substantivo.

Solutio. Dico quod quamvis verbum non ponatur, tamen intelligitur, ut dictum est. [../T10vA/..]

Quinto nota quod differentia est inter praedicabile, praedicatum, et praedicamentum. Praedicabile est quod est aptum praedicari de pluribus prout non ponitur in oratione, ut homo. Praedicatum est quod actu praedicatur de pluribus et sic ponitur in oratione, ut 'Socrates est homo'. Praedicamentum est coordinatio multorum praedicabilium, ut substantia. Unde sicut exercitus regis dicitur esse coordinatio multorum militum, sic praedicamentum dicitur esse coordinatio multorum praedicabilium. [...]

<- V> TU SCIS QUIDLIBET VEL NIHIL SCIS

Hoc <est> sophisma ad propositum.

Et probatur sic: Tu scis hoc vel hoc et sic de aliis, ergo scis quidlibet; vel [sic] tu nescis /T10vB/ hoc vel hoc, ergo tu nihil scis.

Solutio. Dico quod prima est falsa.

Et respondeo ad probationes quod ibi est fallacia consequentis, quia tu probas duo universalia per duo singularia. Cum tu dicis "Tu scis hoc vel hoc vel tu nescis hoc vel

hoc" per ista duo singularia probas ista universalia "nihil", "quidlibet", cum deberes dicere "Tu scis hoc et hoc, ergo quidlibes scis"; quare ibi est fallacia consequentis.

Quod tu nihil scias probatio. Aliquid dubitatur a te, ergo tu dubitas aliquid; sed quod dubitas nescis; ergo aliquid nescis; sed non aliquid et nihil aequipollent, ergo nihil scis.

Solutio. Dico quod hic[1] est fallacia figurae dictionis, quia cum tu dicis "Tu dubitas aliquid" [in] hoc quod dico 'aliquid' habet simplicem suppositionem, et cum dicis "ergo aliquid non scis" hoc quod dico 'aliquid' habet suppositionem confusam. Et sic est fallacia figura dictionis ex diversa suppositione huius termini 'aliquid'.

"Si oppositum de opposito" illa propositio habet sic intelligi. Ponatur quod ibi sint duo opposita, scilicet virtus et vitium, et postea iustitia et iniustitia; ideo sic debes intelligere quod si unum oppositorum †inter reliqua† et alterum alteri, ut si iustitia est virtus, ergo iniustitia est vitium..

Item, quod tu nihil scias probatio. Te quidlibet scire et nihil scire sunt opposita; sed \si/ oppositum de opposito et propositum de proposito; sed te quidlibet scire est falsum, ergo te nihl scire est verum; ergo tu nihil scis.

Solutio. Dico quod illa propositio "Si oppositum de opposito et propositum de proposito" habet intelligi in terminis incomplexis et non in terminis complexis, sed hic sunt termini complexi, sc.(?) 'te quidlibet scire' et 'te nihil scire'; quare non valet.

Item, quod tu nihil scias probatio. Quicquid scitur est verum; ergo, si scis aliquid, est verum; sed quod non sit verum probatio: verum est adaequatio rerum et intellectuum; sed adaequatio rerum et intellectuum non potest fieri, cum intellectus sit quaedam res indivisibilis; ergo verum non est; ergo tu nihil scis.

Solutio. Dico quod adaequatio duplex est: realis et intentionalis. †Verum est quod realis adaequatio est cum adaequatur intellectus sed adaequatione intentionali.† Realis adaequatio est quando res adaequatur rei, ut urna aquae vel †canna panno†. Intentionalis est quando intelligitur sicut est in re.

Item, quod tu nihil scias probatio. Si habes scientiam, habes in anima; sed si scientia est in anima, est perfectio animae; et omnis perfectio nobilior est suo perfectibili; ideo scientia nobilior est anima; quod falsum est, quia nihil nobilius est anima secundum Aristotelem; ergo et primum.

Solutio. Dico quod anima potest dupliciter considerari, sc. secundum suam substantiam, et tunc nihil nobilius anima est; aut secundum ignorantiam, et sic scientia potest esse perfectio animae. [.../T11rA/...]

<2.6> ALITER DEFINITUR SIC GENUS etc. [../T11rB/..] Haec est sententia lectionis in generali et in speciali.

<- V> DICTO DE GENERE DICENDUM EST DE SPECIE

Quaeritur de illa latinitate utrum sit congrua vel incongrua, perfecta vel imperfecta.

Solutio. Dico quod est perfecta et congrua simpliciter.

Primo quaeritur quare ablativus ponitur absolute. Prima causa est ratione consequentiae, ut 'sole lucente aer illuminatur', quia ad hoc quod dico 'sole lucente' sequitur illuminatio aeris. Alia causa est ratione duorum actuum, et sic sumitur hic.

---

1. hic] haec T.

Item, quaeritur quot modis fit.

Solutio. Dicendum quod fit quinque modis. Primo fit sc. privatione transitionis in rem extrinsecam, ut 'vivo' 'spiro', quia hic non fit transitio in aliam rem. Secundo modo fit privatione transitionis, et hoc quia nominativus et vocativus intransitivi sunt, i.e.[1] ponuntur absolute. Tertio modo ratione discretionis, ut hic 'ego lego'. Quarto modo privatione constructionis, ut 'beatus Nicolaus', et hoc quando scribitur supra imaginem aliquam. Quinto modo privatione regiminis, et sic sumitur hic.

Postea quaeritur quare ille ablativus 'dicto'[2] potius ponitur absolute quam alius ablativus. Ad hoc dicendum quod ille ablativus descendit a verbo impersonali quod importat in se sensum orationis, ratione cuius [est] ablativus descendens ab ipso importat sensum orationis, cum dico 'dicto' i.e. "dictione facta", quare ponitur absolute.

Quod ablativus non ponatur absolute probatio. Omne quod significat actum in ratione principii debet construi cum verbo et regi ab ipso; sed ablativus est huiusmodi; ergo debet construi cum verbo.

Solutio. Dico quod ablativus debet construi cum verbo ... ..one consequentis vel in concomitatione duorum actuum.

Item, quod ablativus non possit poni absolute probatio. Dicit Priscianus quod omnes obliqui transitivi sunt; sed ablativus est obliquus; ergo est transitivus.

Solutio. Dico quod obliqui sunt apti nati ad faciendum transitionem, sed non semper faciunt.

Primo nota quod aliquid potest habere sub se species duobus modis, aut substantialiter aut accidentaliter. Si accidentaliter, ut album habet sub se hominem vel lapidem, et sic non oportet quod sit genus. Si substantialiter, hoc duobus modis: aut aequivoce aut univoce; si aequivoce, sic ens praedicatur de decem praedicamentis, et non oportet quod sit genus; si univoce, sic est genus, et omne quod praedicatur de ali<qu>o univoce est genus ipsius. [.../T 11vA/...]

<2.8> SPECIES EST QUAE PRAEDICATUR etc. [...]

<2.9> Sequitur alia in qua ponit unam divisionem[3], et dicit quod species dividitur per specialissimam et subalternam. Species specialissima quae cum sit species non potest esse genus, ut homo et equus et sic de aliis, ut aliquis esset ita filius quod non esset aliquis alius sub se ipso vel servus ita quod non haberet aliquem servum. Unde nomen appellativum quod habet sub se propria nomina immediate dicitur species specialissima ut homo qui habet sub se Socratem et Platonem et sic de aliis.

<- V> TANTUM UNUM EST[4]. Hoc est sophisma.

Et probatur sic: [...]

Primo nota quod species .... Primo modo species est similitudo rei comprehensae ab anima, unde dicit .... "lapis non est in anima sed species lapidis". Secundo species est idem .... forma hominis. Tertio modo idem est quod elegans membrorum dispositio ... . "species Priami digna est imperio." Unde Aristoteles /11vB/ libro

1. i.e.] *an* ideo *scribendum ?*
2. dicto] sol(it)o T, *ut videtur.*
3. divisionem] diffinitionem *T.*
4. unum est] est unum T.

Topicorum: actus, forma et species idem sunt. Quarto modo species idem est quod maneries sive modus diversus; unde Aristoteles: "tot sunt species entis quot sunt species motus", i.e. diversi modi. Quinto modo species idem est quod significatio; unde Aristoteles: "quaecumque differunt specie", id est significatione, "et differentia". Sexto modo species idem est quod quaedam forma communis extracta a multis singularibus et sic sumitur hic. [.../T12vA/...]

<- V> [PROPRIUM DICITUR etc.] NIHIL ET CHIMAERA SUNT FRATRES

Hoc est sophisma ad propositum. <Probatur> sic: Eius contradictoria est falsa, sc. haec 'aliquid et chimaera sunt fratres', ergo prima vera. Contra. [.../T12vB/...]

<*Tractatus III de praedicamentis*> T47rB-48vB + 25rA-29rA

<3.1> AD COGNITIONEM PRAEDICAMENTORUM etc. [.../T47vA/...]

<- V> Iuxta hoc quaeritur utrum aliquod nomen sit aequivocum.

Et videtur quod non. Cuius causa efficiens est una et materia est una et eius forma introducta in ipsa debet esse una; sed anima quae est causa efficiens est una et vox quae est materia est una; ergo significatio quae est forma introducta in ipsa voce est una; ergo nullum nomen aequivocum erit.

Solutio. Dico ad argumentum, cum tu dicis "forma introducta in ipsa materia erit una", hoc intelligendum de forma substantiali quae est anima, et non de forma accidentali quae est significatio vocis.

Contra. Quod omne nomen sit aequivocum probatio. Omne nomen quod significat res diversorum praedicamentorum est aequivocum; sed omne nomen significat res substantiae <et> qualitatis, quia significat substantiam cum qualitate; ergo omne nomen est aequivocum.

Solutio. Et dico quod nomen non significat substantiam et qualitatem ut duo sed significat substantiam cum qualitate ut unum. Ideo non sequitur.

Primo nota quod omne nomen aut est adiectivum aut substantivum. Si adiectivum, sic est denominativum; si substantivum, hoc dupliciter: aut significat unum aut plura. Si unum, sic est univocum; si plura, sic est aequivocum.

Secundo nota quod 'aequivocum' dupliciter dicitur, scilicet aequivocans et aequivocatum. Aequivocans, ut hoc nomen 'canis' vel 'animal'; aequivocata sunt ista quae comprehenduntur sub istis duobus, ut animal latrabile, vel sidus, vel piscis marinus. [... /T48rA/ ...]

<3.4> QUANDO ALTERUM DE ALTERO DICITUR etc. [...]

<- V> TOTUS SOCRATES EST MINOR SOCRATE

Hoc est sophisma. Et probatur sic: Pes Socratis est minor Socrate, manus Socratis est minor Socrate, et sic de aliis; ergo totus Socrates est minor Socrate.

Sed contra. Totus Socrates est Socrates, ergo Socrates est minor se ipso; quod est falsum; ergo et primum.

Solutio. Dico quod 'totus' potest teneri categorematice et syncategorematice. Si teneatur categorematice, sic est falsa et est sensus 'totus Socrates est minor Socrate' hoc est "totus Socrates constans[1] ex suis partibus". Si teneatur syncategorematice, sic est

1. constans] perstans T.

vera et est sensus 'totus Socrates est minor /T48rB/ Socrate' hoc est "quaelibet pars Socratis est minor Socrate", quod est verum.

Quaeritur utrum ista oratio sit vera. Et videtur quod sic. Dicit Aristoteles in Praedicamentis quod alterum de altero praedicatur etc; ideo dico quod totus Socrates est aliquis homo, et aliquis homo est minor Socrate; ergo bene sequitur 'totus Socrates est minor Socrate'.

Solutio. Dico quod oratio illa habet intelligi quando praedicatum est uniforme; sed haec est praedicatio difformis inter maiorem et minorum.

Quaeritur quanta sit illa propositio 'totus Socrates est minor Socrate'. Non est universalis, quia non subicitur terminus communis cum signo universali. Non est particularis nec indefinita nec singularis, quia nulla istarum probatur inductione; ergo etc.

Ad hoc dico quod est universalis quando hoc signum 'totus' tenetur syncategorematice, et est sensus 'totus Socrates est minor Socrate' hoc est "quaelibet pars Socratis est minor Socrate", quia hoc quod dico 'quaelibet [pars]' est signum universale et 'pars' est terminus communis; quare est universalis.

<- V> NULLUM CAPUT HABENS EST ALIQUOD CAPUT HABENS.

Probatio. Non hoc caput habens est aliquod caput habens, sc. aliud, et sic de aliis; ergo etc.

Contra. Hic praedicatur oppositum de opposito; ergo prima falsa.

Ad hoc dico quod prima est falsa et singulares sunt distinguendae ex eo quod negatio potest negare hoc verbum 'est' vel hoc participium 'habens'. Si participium, sic est vera et est sensus "non habens hoc caput est habens aliquod caput", et hoc est verum. Si vero(?) negat hoc verbum 'est', sic est falsa in hoc sensu "hoc caput habens <non> est aliquod caput habens", quod est falsum.

Quaeritur utrum corpus possit habere duo capita. Et videtur quod sic. Cuilibet virtuti repondet suum instrumentum, sed homo habet duas virtutes in se, sensitivam et intellectivam; ergo habet duo capita.

Solutio. Dico quod illud habet sic intelligi "cuilibet virtuti respondet suum instrumentum, hoc est secundum operationem", sed virtus intellectiva non operatur aliquid in homine sed sensitiva; ideo non sequitur.

Item, ad idem. Dicit Aristoteles: privat<iv>e opposita non possunt esse simul in eodem; sed visus est in eodem capite; ergo caecitas erit in alio; ergo etc.

Solutio. Dico quod Aristoteles intellexit quod privative opposita non possunt esse simul in eodem, sc. genere supple, tamen possunt esse in uno corpore. [.../T26rA/...]

<3.17> AD ALIQUID VERO TALIA DICUNTUR etc. [...]

<- V> Nota quod relativa differenter considerantur a grammatico et a logico, quia relativum prout considera[n]tur a grammatico habe[n]t respectum et dependentiam ad suum antecedens, ut 'Socrates legit et ille disputat', 'ille' habet respectum ad Socratem; sed relativa prout considerantur a logico non habent respectum ad sua antecedentia sed ad sua correlativa, ut pater habet respectum ad filium qui est eius correlativum et econverso. /T26rB/

<- V> Item, alia est differentia quia relativa in grammatica sunt infinitae significationis, sed relativa in logica sunt finitae significationis, ut 'pater' significat paternitatem, quae est res finita.

<- V> Secundo nota quod relatio potius <fit> in casu quam in alio accidente ideo quia casus magis est accidens respectivum, et relativum dicit respectum ad illud et dependentiam, quare relatio propter convenientiam potius fit in casu quam in alio accidente.

<- V> Item, tertio nota quod relatio non fit in nominativo et in vocativo, et est causa quia dicit Priscianus quod nominativus <et> vocativus absoluti sunt, et relatio repugnat absolutioni; quare relatio non fit in nominativo et in vocativo.

<- V> Quarto nota quod quaedam sunt relativa secundum esse et quaedam secundum dici. Relativa secundum esse sunt quae significant veram rem relationis et non rem alterius generis, ut 'pater' significat veram paternitatem, quae est pura relatio. Relativa secundum dici sunt quae significant rem alterius generis, ut 'virtus' significat rem alterius generis, quia puram qualitatem; unde duae primae proprietates relationis sunt secundum dici. [...]

<*Tractatus IV de syllogismis*> T37vB-40rA

<*Tractatus V de locis*> T40rA-44vA

<5.1> RATIO MULTIPLICITER DICITUR etc. [.../T40vB...]

<5.3> Postea determinat de alia specie, sc. de exemplo, et dicit quod quando unum particulare probatur per aliud particulare per aliquam similitudinem repertam in ipsis, tunc est exemplum. Verbi gratia, ut[1] Anianenses contra Aurelianenses pugnare malum est, ergo Aurelianenses contra Anianenses[2] pugnare malum est. Similitudo est affinitas. Sed differentia est inter affinitatem et vicinitatem, quia affinitas est inter ea quae non sunt eiusdem castri, sed vicinitas est inter ea quae sunt in eadem carreria. Similiter sumitur hic 'particulare' largo modo. Haec est sententia huius lectionis in generali et in speciali. [... /T44rB/...]

<5.3> ARGUMENTATIONIS QUATTUOR SUNT SPECIES etc.

[...] ut Magalonenses contra Agatenses pugnare est malum, sed affines contra affines est pugnare Magalonenses contra Agatenses; ergo affines contra affines pugnare est malum. Sed Agatenses contra Padavenses est pugnare affines contra affines, ergo Agatenses contra Pedavenses(!) pugnare est malum.[3] [... /T44vA/ ...]

<*Tractatus VI de suppositionibus*> T44vA-47vB

<6.1> EORUM ENIM QUAE DICUNTUR etc.

---

1. ut] *lectio incerta* T; ait *De Rijk.*
2. Anianenses — Anianenses] *utrum nomen ab* anian-, avian, aman-, anion-, avion-, *an* amon- *incipiat parum liquet;* Avi<ni>onenses *De Rijk.*.
3. ut Magalonenses — malum] *cf, V 38vB* Aratatenses pugnare contra Avinionenses est malum, sed affines contra affimos(!) pugnare est malum. Alius syllogismus est talis: Affimos(!) pugnare contra affimes(!) est malum, sed Arelatenses pugnare contra Avinionenses est malum.

<Cf. V 45vA> Superius Auctor determinavit de syllogismo et de eius partibus, sc. de de terminis; in hoc capitulo determinat de quadam proprietate, sc. de suppositione. Unde illa pars dividitur in duas partes.[1] [...]

<- V> Modo extra Litteram possit(!) aliquis dicere aliquid ad nos(?) de istis divisionibus, quia debemus scire quod ipse determinat de suppositione quae est quaedam proprietas vocis, et ad significandum quod illa proprietas non est cuiuslibet vocis sed vocis incomplexae, et non cuiuslibet vocis incomplexae sed est solum vocis inocmplexae significantis rem alicuius praedicati, ideo ponit istas divisiones. Et haec sententia huius partis.

<6.2; - V> Postea sequitur alia in qua definit significationem dicens quod significatio termini prout hic sumitur est rei per vocem secundum placitum repraesentatio. Debemus scire quod in qualibet voce sunt tria, scilicet ipsa vox, et res intellecta per ipsam, et ipsa repraesentatio media. Unde ipsa vox non est significatio nec res significata per ipsam vocem sed ipsa repraesentatio media est significatio. Et dicit bene "ut hic sumitur", quia stricte valde sumitur hic significatio et dicit bene "secundum placitum" propter alium terminum qui significat naturaliter. Et quia dixit "rei", subiungitur quare dixit ipse, cum omnis res sit universalis vel particularis, sc. quia[2] illae dictiones quae non significant universale <nec> particulare non significant, et sic non erunt termini prout hic sumitur terminus, et tales dictiones sunt ut signa universalia et particularia quae non significant rem universalem nec particularem, /T44vB/ sed solum modum rei. Et haec sententia huius partis. [...]

<6.3> <- V> Postea ponit differentiam inter significationem et suppositionem et dicit quod significatio est per impositionem vocis ad rem significandam, sed suppositio est acceptio ipsius termini iam significantis rem pro aliquo. Hoc est, differunt sic quia significatio prius est in voce, hoc est primo significat vox, sed †significatio supponit prius quam significet, et non sumitur per prius,† quia prius significat vox quam supponat, et ita differunt sicut prius et posterius. [...] Et haec est sententia lectionis in generali.

<≠ V 45vA> In speciali <6.1> EORUM QUAE DICUNTUR etc. Primo nota quod significatio in arte potest dici communitur tribus modis sive quattuor. Uno modo potest dici significatio res significata, ut haec dictio 'canis' habet tres significationes i.e. significat tres res. Alio modo potest dici modus significandi, ut dicit Priscianus in maiori nihil est quod ita valeat in partitione dictionum sicut significatio, i.e. modus significandi. Tertio modo potest dici repraesentatio rei significatae per vocem et sic sumitur hic. Alio modo idem est quod illa acceptio termini communis pro alio posito, et sic sumitur hic. [...]

<Cf. 45vB> Tertio nota quod terminus potest supponere sive accipi sex modis. Uno modo ratione vocis ut 'homo auditur', i.e. haec vox 'homo'; alio modo ratione rei significatae, ut 'homo est dignissima creatura creaturarum', res significata per

---

1. Superius — partes T] Superius determinabit Magister de terminis et de propositonibus, in parte ista determinat de proprietate terminorum, sc. de suppositionibus, et dividitur haec pars in duas V.
2. sc. quia] sed quod T.

hominem; alio modo ratione vocis et significationis in simul, ut 'nomen est vox', vel 'homo est nomen' i.e. totum aggregatum ex voce et significatione; alio modo ratione proprietatis rei significatae, ut 'homo est species' 'animal est genus'; alio modo ratione termini singularis ut 'homo currit' vel 'Socrates' vel 'Plato'. [...]

<- V> Quaeritur utrum vox significet rem.

Et dicitur quod non:

1. Unum oppositum non significat aliud; sed vox et res sunt opposita, ut probabo; ergo vox non significat rem. Probatio minoris: Dicit Aristoteles libro Elenchorum quod voces sunt finitae, res autem infinitae; sed finitum et infinitum sunt opposita; ergo voces et res sunt opposita. Quare vox non significat rem.

2. Ad idem. Signum et significatum sunt proportionalia. Sed res et voces non sunt proportionalia, ut probabo [etc.]. Probatio: proportionalia sunt in eodem genere; ut habetur ab Euclide V° Geometriae, proportio est rerum eiusdem generis certa habitudo; sed res et vox non sunt in /T45rA/ uno genere sed in diversis, quia res est in genere substantiae, et vox in genere qualitatis. Ergo non sunt proportionalia. Quare vox non significat rem.

3. Praeterea. Signum et significatum sunt proportionalia; sed vox est quoddam successivum et res est permanens; ergo non sunt proportionalia; ergo etc.

Solutio. Dicendum quod vox significat rem, quia vox et res non sunt simpliciter opposita.

<*Ad 1*> Ad primum argumentum dico quod res non sunt simpliciter infinitae, sed respective, quia res sunt infinitae respectu vocis et voces sunt finitae respectu rerum, vel sunt finitae quoad naturam, infinitae quo ad nos, quare non valet.

<*Ad 3*> Ad aliud. Quando dicitur quod signum et significatum sunt proportionalia ergo etc., dicendum quod res et voces sunt proportionalia in duratione licet non sint proportionalia in natura. In duratione quia quam cito aliquod signum incipit esse signum[1], tam cito incipit esse significatum, et similiter quam cito incipit deficere sign[a]um et significatum et econverso. Sed in natura res et voces non sunt proportionalia, ut videtur, quia ramus est signum ante tabernam et vinum est significatum et <non> sunt proportionalia in natura.

<- V> Quaeritur in quo genere praedicamentorum sit significatio.

Et videtur quod sit in genere substantiae sic: Forma essentialis sive substantialis[2] dat esse rei; sed significatio dat esse rei; ergo significatio est forma substantialis. Sed forma substantialis est in genere substantia; ergo significatio est in genere substantiae.

Solutio. Dico quod forma substantialis dat esse rei, scilicet esse substantiale. Sed tu dicis "Significatio dat esse rei," scilicet esse accidentale; quare non sequitur.

Item quod significatio sit in genere qualitatis probatio: Dispositio est in specie prima qualitatis; sed significatio est dispositio, quia significatio disponit anima, quia cum anima apprehendit significationem vocis disponitur in rem significatam; ergo significatio est in genere qualitatis.

---

1. incipit esse signum] ratione signi **T**.
2. sive substantialis] *post* dat esse rei *locavit* **T**.

Quod sit in generre relationis probatio: Signum et significatum sunt proportionalia relativa; sed vox est signum et significatio est significatum; ergo sunt relativa; ergo sunt in genere relationis.

Solutio. Dicendum quod significatio potest dupliciter considerari aut quantum ad rem significatam aut in comparatione ad vocem. Et quia res significata potest esse in quolibet genere praedicamentorum, ideo sunt in genere quolibet.[1] Si considerentur quantum ad vocem, hoc est quia vox est signum et significatio est significatum, ideo sunt in genere relationis. [eorum quae dicuntur etc.] Alio modo significatio idem est quod forma a qua fit impositio vocis ad significandum ut humanitas, quia ab hac forma imponitur homo ad significandum.

Quod res per vocem non possit repraesentari probatio. Quia oporteret quod fieret unio ipsius rei cum voce, sed res non potest uniri voci, cum sit in diversis locis; ergo res non potest per vocem repraesentari.

Solutio. Dico quod duplex est unio, realis et intentionalis.[2] Quamvis res non possit uniri voci realiter, potest tamen intentionaliter; quare non valet.

Item, ad idem. Nullum permanens potest per transitorium repraesentari sive successivum; sed res est permanens et vox est successiva et transitoria, ut vult Aristotèles in Praedicamentis; ergo etc.

Solutio. Dico quod quamvis eadem vox in numero non permaneat, tamen permanet eadem in specie; quare non valet.

Item ad idem. Dicit Aristoteles in Praedicamentis quod destructo uno relativorum destruitur et reliquum. Sed destructa voce non destruitur res, nec econverso. Ergo non sunt [sicut] relativa nec sicut signum et significatum.

Solutio dico quod res et voces possunt dupliciter considerari aut secundum quod se habent sicut signum et significatum et sic sunt relativa, et destructo uno destruitur reliquum, aut possunt considerari secundum id quod sunt, et sic destructo uno non destruitur alterum, nec econverso, quare non valet.

<6.4> SUPPOSITIONUM ALIA COMMUNIS etc. [...] **/T45rB/**

<- V> Modo posset aliquis dicere: Cum terminus extra orationem suppositionem habeat naturalem de natura sua, qualiter verbum potest transire in ipsum terminum <ita> quod in oratione habeat accidentalem, quia accidentaliter adducam ei verbum?

Dicendum quod in quolibet verbo est res verbi, et ipsa res verbi coartatur pro aliqua differentia temporis, ut 'currit' i.e. "cursus est", modo coartatur res verbi quod stat pro cursu in praesenti et sic de aliis temporibus, et res verbi coartat ipsam compositionem et compositio coartata coartat extrema, et terminus dicitur unum extremum, ideo stat secundum exigentiam verbi.

Et haec <est> sententia huius partis. [...]

<- V> Quarto nota quare dicitur personalis suppositio, ideo nota quod persona dicitur tribus modis. Uno modo dicitur idem quod digni**/45vA/**tas, ut homo habens dignitatem. Alio modo dicitur persona quidam modus loquendi de se vel de alio vel ad

---

1. quolibet — quolibet] qualibet — qualitatis **T**.
2. intentionalis] vocalis **T**.

alium, et sic sumitur in grammatica. Alio modo dicitur persona quando terminus aliquis supponit pro suis inferioribus, ut 'homo currit', et sic sumitur hic. [...]

Vel aliter duplex est causa quare dicitur suppositio naturalis, una causa est quod suppositio naturalis est quando terminus communis supponit pro praesentibus, praeteritis et futuris, et quia terminus communis aptus natus est participari cum praesentibus, eodem modo semper supponit et quae semper eodem modo eveniunt sunt naturalia, quare merito suppositio naturalis dicitur naturalis. Alia causa est quod suppositio naturalis est quando terminus communis supponit pro praesentibus praeteritis et futuris, et quia terminus communis naturaliter aptus <natus> est participari cum praesentibus, praeteritis et futuris, ideo merito talis suppositio dicitur naturalis.

Praeterea nota quare suppositio dicitur accidentalis [...]

<6.6> ITEM SUPPOSITIONUM. Nota quod terminus sumitur indifferenter pro omnibus duobus modis, aut quia significat indifferenter rem praesentem praeteritam et futuram; alio modo sumitur terminus indifferenter pro omnibus quia[1] supposita significa[n]t praesentia, praeterita et futura, et hoc modo sumitur hic. [.../T45vB/...]

<6.8> ITEM PERSONALIUM SUPPOSITIONUM etc. [... /T46ra/...]

Nota differentiam inter supponere et reddere locutionem veram, quia supponere est ratione suppositorum in se et absolute, sed reddere locutionem veram est in comparatione ad praedicatum quod praedicatur de subiecto, et quia illud praedicatum aliquando non convenit nisi uni, ideo locutio est vera pro illo cui convenit praedicatum.

<*Tractatus VII de fallaciis*> T29rA-36vB + 13rA-24rB

T29rA INCIPIT TRACTATUS FALLACIARUM.

<7.1> DISPUTATIO EST ACTUS SYLLOGISTICUS

Nota sententiam definitionis extractam per plana verba. Disputatio est operatio syllogistica inter opponentem et respondentem ad manifestandum propositum opponentis. [... /29vB/ ...]

<7.4 DISPUTATIONIS QUATTUOR SUNT SPECIES> [... /T30rA/ ...]

<7.7, - V> Ecce quod ibi disputatio temptativa, et necessarium est eum scire etc. Ista littera potest exponi dupliciter, secundum quod exponit Commentator Alexander supra librum Elenchorum, ita quod hoc quod dico "eum" potest referre [ad] temptatorem vel temptatum. Si temptatorem, oportet quod habeat duas condiciones in se, unam quod significet se scire in hoc quod vult examinare aliquem, et similiter quod sciat aliquid ad ho quod bene examinet aliquem vel damnet, et exponitur sic: "et necessariium est eum scire" sc. temptatorem scire, supple ad hoc quod bene examinet. Aliquis temptator similat se habere scientiam, sc. in hoc quod vult examinare aliquem. Alio modo potest exponi, et tunc hoc quod dico "eum" refertur ad tempatum, et oportet tunc quod habeat duas condiciones in se, unam quod significet se scire aliquid in hoc quod vult examinatorem interrogare, aliud est quod sciat aliquid ad hoc quod sciat aliquid bene respondere in examinatione simulat se habere scientiam secundum quod vult in/T30rB/terrogare examinatorem. Et dicit quod instrumentum huius disputationis est tempativus syllogismus, temptativus syllogismus est qui ex hiis [qui ex hiis] quae

1. quia] quae T.

videntur respondenti. Quando aliquis proponit respondenti(?) alicui et ex concessis ab ipso facit syllogismum, talis syllogismus est temptativus. Et dicit [et dicit] quod sive illa quae proponuntur respondenti sint necessaria sive probabilia sive vera sive falsa, hoc non est in quantum talia sunt in se, se in quantum videntur probabilia respondenti, nec curat temptator nisi quod videantur respondenti. [.../T32rB/ ...]

<7.25> <- V> Sequitur alia in qua ponit unum notabile. Et sciendum quod, sicut vult Commentator supra librum Elenchorum, quod triplex est multiplex: quoddam actuale, et quoddam potentiale, et quoddam phantasticum. Dicit quod multiplex actuale est quando dictio vel oratio simpliciter plura significat — dictio ut 'canis', oratio ut 'liber Aristotelis'. Et dicit quod de multiplici potentiali et phantastico dicetur in suis locis. Et dicit quod quia veriori modo salvatur ratio multiplicis in actuali quam in potentiali et verius in potentiali quam in phantastico, ideo prius dicendum est [prius] de fallaciis operantibus multiplex actuale, et postea de fallaciis <operantibus> multiplex potentiale, et ultimo de fallaciis operantibus multiplex phantasticum. Et debemus scire hic quod commentator est ille qui exponit litteram et sententiam. Et haec est sententia huius partis, et per consequens totius lectionis in generali et in speciali. [...]

<Cf. V 51vB> Quarto nota quod sicut triplex est multiplex, ita triplex est ens, sc. ens actuale ut ego vel tu, ens potentiale ut Antichristus, et ens imaginabile ut chimaera. Et isti triplici respondet triplex multiplicitas, ita quod enti actuale respondet multiplex actuale, enti potentiali respondet multiplex potentiali et enti imaginabili respondet multiplex phantasticum.

<- V> Quaeritur utrum de fallaciis sit scientia.

Et videtur quod non.

Dicit Aristoteles in Ethicis quod omnis scientia est de difficili et bono; sed fallacia non est difficilis, quia dicit Alexander in commento supra librum Elenchorum quod facile est decipere, difficile est sibi cavere a deceptione; ergo de fallaciis non est scientia.

Ad idem. Omnis scientia est de bono, sed fallacia non est de bono; ergo de fallaciis non est scientia.

Praetera. Omnis scientia est de ente, ut habetur ab Aristotele in libro Posteriorum; sed fallacia non est ens, ut habetur per sui definitionem, quia fallacia est apparens sapientia et non existens; ergo de fallaciis non est scientia.

Solutio. Dico quod nos possumus loqui de fallaciis duobus modis: aut secundum quod nos possumus decipere alios per fallacias, et sic de illis non est scientia, et sic intellexit in Elenchis, aut quia possumus cavere ne decipiamur, et sic de fallaciis est scientia, et hoc modo intellexit Aristoteles in Elenchis.

<7.26> HIIS VISIS etc.

<- V> Superius Auctor determinavit de fallaciis in generali. In hac parte determinat de eisdem in speciali. Unde ista pars dividitur in duas; In prima loquitur de principiis aequivocationis, in secunda loquitur de speciebus ipsius, secunda ibi Species aequivocationis <7.29>. Adhuc prima in quinque. In prima parte distinguit fallaciam in generali. In secunda determinat de principiis †facientibus†. In tertia determinat de principiis aequivocationis. In quarta definit aequivocationem uno modo. In quinta alio modo. Secunda ibi Unde sciendum est quod in qualibet fallacia (7.27). Tertia ibi Principium autem motivum in aequivocatione <7.27, p. 98:13>. Quarta ibi unde

aequivocatio isto secundo modo sumpta sic definitur <7. 28>. Quinta ibi Quantum autem ad alium modum <7.28, p. 99:14>. [significatio]. Et haec est sententia lectionis in generali.

<- V> In speciali sic procedit dicens "hiis visis", hoc est quia visum est superius de fallaciis, dicendum de illis in speciali /T32vA/ de aequivocatione. Et primo distinguit hoc nomen 'fallacia', et dicit quod fallacia dicitur dupliciter, uno modo est deceptio causata in nobis, hoc est quando aliquis facit argumentum deceptivum et nos nescimus videre utrum sit ibi deceptio sive fallacia, tunc est deceptio causata in nobis.

Alio modo est fallacia principium deceptionis illius, hoc est alio modo fallacia est in ipso argumento, et potest esse in nobis deceptio et potest esse exemplum de denario falso. Et est una deceptio in hoc quod videtur esse bonus et non est. Alio <modo> est deceptio in nobis prout nescimus videre utrum denarius sit bonus. Et dicit quod isto secundo modo intendimus hic de fallaciis. Et haec est sententia huius partis.

<7.27; - V> Sequitur alia in qua determinat generaliter de principio motivo et de defectu cuiuslibet fallaciae et hoc prout eodem modo dictum est de fallacia, et dicit primo ne aliquis decipiatur in verbis, quod causa movens sive causa apparentiae sive principium motivum idem sunt ex una parte. Item principium defectus sive causa non existentiae sive causa falsitatis idem sunt.

Postea quod principium motivum sive causa apparentiae in qualibet fallacia est quod movet ad credendum hoc esse[1] quod non est, hoc est quando in aliquo argumento deceptorio ponitur dictio vel oratio, credit aliquis quod quia dictio est una vel oratio quod significatum sit unum. Unde et illud est causa apparentiae. Sed principium defectus est quod facit creditum esse falsum. Et potest esse exemplum de falso denario, quia in falso denario est duplex principium, scilicet principium motivum in hoc quod habet litteras et crucem ad modum boni denarii. Sed est ibi principium defectus, quia denarius est intus falsus, quia si frangeretur esset intus cupreus, et hoc est sententia huius partis.

Sequitur alia in qua determinat de principiis huius fallaciae, scilicet aequivocationis, et dicit quod quia principia iam dicta sunt in qualibet fallacia, oportet quod sint in aequivocatione. Et dicit quod principium motivum aequivocationis est unitas eiusdem dictionis simpliciter, hoc est quando vox simpliciter est una, et quia vox est una crederet aliquis quod significatum sit unum quia vox est una.

Et potest esse exemplum. Quando aliquis computat multotiens ponit unum lapidem pro x vel xii denariis, et quia lapis est unus, crederet aliquis <quod> non significet nisi unum denarium. Similiter est in proposito.

Sed principium defectus aequivocationis est diversitas rationum sive rerum significatarum, hoc est quando idem nomen significat diversas res, tunc est principium defectus vel vocabuli prout non quaelibet significatur per nomina, haec s... rationum i.e. distinctionum.[2]

Unde sciendum quod in fallaciis in dictione, principium motivum est ex parte vocis, sed principium defectus ex parte rei. Haec est sententia huius partis.

<7.28; - V> Sequitur alia, in qua definit fallaciam aequivocationis. Et dicit quod aequivocatio est cum diversae rerum rationes in eodem tempore simplicitur uniuntur.

---

1. esse] est T.
2. distinctionum] *vel* diffinitionum T.

Hoc est dictu quando aliquod nomen significat diversa et est aequivocum ut 'canis', tunc in tali nomine est aequivocatio. Et haec est sententia huius partis. Et haec est sententia huius partis.

<- V> Sequitur alia in qua explanat definitionem et dicit quod res sumitur hic communiter ad rem veram et ad duplicem modum rei et ad habitudines ipsarum rerum. Ad rem veram, ut hoc nomen 'canis', quod significat tres res, scilicet animal latrabile, et caeleste sidus, et piscem marinum. Et ad duplicem modum rerum, quod est unus modus, prout dictio consignificat sua accidentia, ut hoc nomen 'sacerdos' quod potest esse feminini generis vel masculini. Item alius modus significandi secundum quod significat veram rem, sed diversus est modus, ut in hoc quod dico 'sanum', quod semper significat sanitatem animalis, sed diversimode, quia cum dicitur 'animal est sanum', modo 'sanum' dicit sanitatem animalis ut in subiecto, sed cum dicitur 'urina est sana', hoc est significativa sanitatis, quia sanitas est in urina ut in signo. Similiter cibus est sanus, hoc est efficit sanitatem, quia sanitas est in cibo prout in effectu. Similiter diaeta est sana, hoc est conservat sanitatem, quia in diaeta est sanitas ut in conservante, et est diaeta administratio debita cibi et potus ad regimen sanitatis conservandum. Similiter dicitur quod sir<up>us, i.e. potio medicinalis, est sana, quia praeparat sanitatem animalis, et tunc sanitas est in potatione, quia est praeparativa sanitatis. Omnia illa dicunt sanitatem animalis, sed modus est diversus.

Ad habitudines ipsarum rerum in praepositionibus, et ut patet in isto paralogismo: 'quicquid est de Anglia est terra vel lapis, sed ille pannus est de Anglia, ergo est terra vel lapis'. Modo haec praepositio <'de'> dicit habitudinem diversam, quia potest dicere habitudinem /T32vB/ materialem vel localem. Si materialem, sic potest esse vera; si localem, sic potest esse falsa.

Et haec est sententia huius partis.

<- V> Sequitur alia in qua definit aliter aequivocationem. Sed sciendum quod quicquid dicitur de aequivocatione, dictum est prout <est> deceptio in ipso argumento, et hoc est dictum de ipsa prout est deceptio causata in nobis. Ideo dicit quod quantum ad alium modum quem diximus, scilicet ad illum prout fallacia est deceptio causata in nobis, dicit quod non sufficiunt duo praedicta principia aequivocationis, sed ulterius oportet quod sit in nobis impotentia distinguendi diversas rationes nominis; quia si nos essemus potentes ad videndum, numquam deciperemur per fallaciam istam nec per aliam. Et hoc modo potest definiri sic fallacia aequivocationis: "fallacia aequivocationis est deceptio in nobis causata ex impotentia distinguendi diversas in eodem tempore simpliciter rationes", hoc est quando aliquod nomen significat diversas res et nos nescimus videre utrum significet diversa aut non, tunc causatur fallacia aequivocationis.

Unde sciendum extra Litteram, quod aequivocatio est quando aliquod nomen significat diversa, sed fallacia aequivocationis est prout nomen significans diversa ponitur in argumento, haec est sententia in generali et in speciali.

<≠ V 51vB-52rA> Nota quod sicut sunt duo princip[al]ia rei existentia, scilicet materia et forma, ita sunt duo princip[al]ia rei non existentia, sive deceptoria, scilicet causa apparentiae et causa non existentiae. Unde formae respondet causa apparentiae, quia sicut dicitur forma quasi foris manens, ita causa apparentiae dicitur quasi apparens

extra, et materiae respondet causa non existentiae quia sicut materia dicitur quasi mater hians formae, ita causa non existentiae dicitur quasi intus non existens.

<Cf. V 52rA> Secundo nota quod in dictione sunt duo, scilicet materia et forma. Litterae et syllabae ex quibus dictio componitur est materia ipsius dictionis. Forma est duplex: substantialis et accidentalis. Forma substantialis est ipse modus proferendi vocem, sed forma accidentalis est significatio ipsius vocis.

<- V> Tertio nota quod duplex [et] est accidens, scilicet separabile et inseparabile. Significatio est accidens inseparabile ipsius vocis, quia significatio non potest separari ab ipsa voce quamdiu est.

<- V> Quarto nota quod habitudo dicitur quadrupliciter. Uno modo dicitur idem quod habitus, sicut dicit Aristoteles in Praedicamentis, in capitulo de qualitate, ut iam quilibet habitudinem vocet i.e. habitum. Alio modo dicitur idem quod complexio, ut cum dicitur iste homo est bone complexionis. Alio modo dicitur idem quod essentialis compositio speciei ad genus, ut dicit Porphyrius. Species habet habitudinem ad suum genus. Quarto modo dicitur inclinatio actus ad substantiam et sic praepositiones[1] fuerunt inventae quia dicunt inclinationem actus ad substantiam, ut patet in hoc quod dico 'vado ad ecclesiam', et sic sumitur hic.

<Cf. V 52rB> Quaeritur utrum significatio sive significatum, quod idem est, sit forma substantialis sive accidentalis ipsius vocis.

Et videtur quod sit forma substantialis:

Omnis forma substantialis differentia est illius cuius est forma[2]; sed significatum et non significatum sunt differentiae vocis, ergo significatio est essentialis ipsi voci.

Ad idem. Omne accidentale potest adesse vel abesse a suo subiecto; sed significatio non potest abesse ab ipsa voce quamdiu significat; ergo significatio est <essentialis> ipsa voci.

Praeterea. Dicit Augustinus quod arca quae est in anima \est/ vita, et arca quae est extra animam non est vita; sed significatio est in anima; ergo significatio est vita; sed vita est substantia; ergo significatio est substantia; quare videtur quod sit substantia vel forma ipsius vocis.

Sed contra. Quod sit forma accidentalis probatio: Illud quod advenit rei post constitutionem plenariam sui esse est ei accidentale; sed significatio advenit ipsi rei vel voci post constitutionem plenariam sui esse; ergo significatio est forma accidentalis ipsi voci.

Ad idem. Perfectio rei et res sunt in eodem genere; sed significatio est perfectio vocis, et vox \est/ in genere qualitatis sive res, et significatio est in genere substantiae; ergo significatio est forma accidentalis ipsi voci et substantialis.

Ad quaestionem et ad argumenta per distinctionem respondeo quod vox potest dupliciter considerari: aut in quantum vox, et sic significatio est forma accidentalis ipsi voci; aut in quantum vox significativa, et sic significatio est forma substantialis ipsi voci. Et sic patet solutio.

<7.29> SPECIES AUTEM AEQUIVOCATIONIS etc.

---

1. praepositiones] propositiones T.
2. forma] differentia T.

<- V> Superius Auctor determinavit de principiis fallaciae aequivocationis. In hac parte determinat de speciebus eius. Unde illa pars dividitur in duas partes. In prima ponit species aequivocationis, in secunda prosequitur de illis, secunda ibi Prima species est <7.30>, illa secunda dividitur in tres. In prima ponit unam speciem aequivocationis, in secunda aliam, in tertia aliam. Secunda ibi Secundus modus <7.31>, tertia ibi Tertius modus <7.36>. Prima remanet indivisa, sed secunda dividitur in tres. In prima determinat de secunda specie aequivocationis, in secunda de quibusdam quae reducuntur ad hanc speciem. Secunda ibi Ad hanc secundam speciem reducitur omnis transumptio <7.32>. Tertia ibi /T33ra/ Ad hanc secundam speciem reducitur omnis multiplicitas etc. <7.33>. Et haec est sententia huius lectionis in generali.

<- V> In speciali sic procedit et intendit hic dicere quod, sicut vult Aristoteles, species aequivocationis possunt dupliciter sumi: aut in se, sic sunt tres; aut prout conveniunt cum amphibolia, et sic similiter[1] non sunt nisi tres; quare[2] sive sumantur per se, sive prout aequivocatio communicat cum amphibolia, sive hoc modo sive illo, non sunt nisi tres species. Et est exemplum: si aliquis homo habeat tres denarios proprios, et habet cum socio tres communes, propter hoc si<ve> consideretur in se, sive in comparatione ad socium, non habet nisi tres. Et haec est sententia huius partis.

<- V> Sequitur alia in qua determinat de prima specie et dicit quod prima species quando aliqua dictio aequaliter significat plura ut 'canis', et ponit in ista parte duo exempla. Primum est de hoc nomine 'canis', et patet inspicienti Litteram, qualiter significat tria et qualiter formatur paralogismus, a 'para' quod est "iuxta" et 'syllogismus' quasi "iuxta syllogismum".

<≠ V 53rB> Aliud exemplum est de hoc verbo 'discunt', et formatur sic paralogismus: 'Quicumque discunt sunt grammatici, scientes sunt grammatici, ergo scientes discunt'. In hoc paralogismo est fallacia[3] aequivocationis, quia hoc verbum 'discunt' est aequivocum ad intelligere docentem et ad retinere ea quae dicuntur a doctore. Sed debemus scire quod duplex est modus scholarium, quidam sunt qui bene intelligunt et male retinent, unde tales facilis impressionis et debilis conservationis, ut cera calida cito formam recipit sigilli. Unde dicit Aristoteles in secundo De anima, quod molles carne[s] sunt aptae mentis, et illi qui bene retinet et male intelligunt habent carnes duras et de difficili imprimuntur, ut patet de forma sigilli quae de difficili imprimitur in cupro.

Unde secundum hoc maior et conclusio sunt distinguendae, et uno modo verae, et alio modo falsae. Quia si hoc verbum 'discunt' dicit[ur] idem quod "intelligere ea quae dicuntur a doctore", vera est et est sensus: Quicumque sunt grammatici discunt, hoc est aliquid; hoc patet quia pueri qui primo addiscunt grammaticam, ut unam partem grammaticae, scilicet alphabetum, aliquid intelligunt. Si li 'discunt' dicat idem quod "retinere", falsa est, et est sensus: quicumque sunt grammatici discunt, hoc est retinent ea quae dicuntur a doctore. Econverso est de conclusione, cum dicitur 'scientes dis-

1. similiter] simpliciter T.
2. quare] quia T.
3. fallacia] figura T.

cunt', quia si 'discunt' significat idem quod "intelligere" falsa est. Non enim propter intelligere dicitur aliquis sciens, quia ibi 'intelligere' sumitur pro "debiliter recipere", quamvis debiliter aliquid recipiant, quia scientia cum sit habitus, de difficili est mobilis. Sed si li 'discunt' dicat idem quod "retinere ea quae dicuntur a doctore", vera est, et est sensus: quicumque sunt grammatici discunt, i.e. retinent ea quae dicuntur a doctore, et hoc est verum.

Aliter potest exponi ita quod in maiori propositione li 'discunt' potest significare idem quod docere, vel idem quod doctrinam recipere. Si significat idem quod docere, maior est falsa, et est sensus quicumque sunt grammatici discunt, i.e. docent et hoc est falsum, si li 'discunt' significat idem quod doctrinam recipere, falsa est, et est sensus: ergo scientes discunt, 'discunt' i.e. recipiunt doctrinam et hoc est falsum. Et sic ista expositio videtur esse melior quam prima et melius concordat cum Littera. Unde dicit alibi Commentator in Metaphysica: "non omnis qui verum dicit, bene exponit, sed qui dicit sententiam quamvis falsum dicat Auctor". Et haec est sententia huius partis.

<- V> Sequitur alia in qua determinat de secunda specie, et est quando aliqua dictio per prius significat unum et per posterius aliud, ut patet in hoc nomine 'expediens'. Et per hoc patet qualiter illa species differt ab alia, scilicet a prima, quia prima est quando dictio significat plura aequaliter, sed hic est prout significat unum per prius et aliud per posterius, et ponit duo exempla, primum de hoc nomine 'expediens', et patet qualiter significat diversa per prius et posterius, et similiter patet qualiter formatur paralogismus. Aliud exemplum est de hoc nomine 'sanum' et formatur paralogismus et patet, 'omne sanum est animal, urina est sana, ergo urina est animal'. Maior et minor sunt duplices, quoniam <si> 'sanum' dicit sanitatem animalis ut in subiecto, maior est vera; si ut in signo, falsa est. Econverso est de minore, quia si 'sanum' dicat sanitatem animalis ut in subiecto, falsa est; si ut in signo, vera est, quia sanitas in urina est ut in signo. Et haec est sententia huius partis.

Sequitur alia in qua reducit aequivocationem ex transsumptione ad secundam speciem aequivocationis. Unde hoc verbum 'ridet' prius significat risum oris, et per posterius significat /T33rB/ transsumptive idem quod florere. Similiter hoc verbum 'currit' prius significat cursum pedum, et transsumptive idem quod labi vel emanari, et patet qualiter formantur paralogismi. Et haec est sententia huius partis.

Sequitur alia in qua reducit ad hanc secundam speciem aequivocationis praepositionem, quia quelibet praepositio per prius dicit habitudinem unam, et per posterius aliam, ut patet in hac praepositione 'secundum', quia per prius dicit habitudinem causae formalis et per posterius habitudinem causae efficientis, et formatur paralogismus sic: 'proprium est qualitatis secundum eam simile vel dissimile dici, sed secundum similitudinem vel dissimilitudinem dicitur aliquid simile vel dissimile, ergo similitudo vel dissimilitudo sunt qualitates', quod falsum est, immo sunt relationes. Dicendum quod maior vel minor sunt distinguendae, quoniam si 'secundum' dicat habitudinem causae efficientis in maiori, vera est et est sensus: proprium est qualitatis etc., hoc est qualitas est efficiens causa similitudinis vel dissimilitudinis, et hoc est verum. Si dicat habitudinem causae formalis, falsa est et est sensus: proprium est qualitatis, hoc est qualitas est causa formalis similitudinis vel dissimilitudinis, et hoc est falsum. Econverso est de minori, quia si 'secundum' dicat habitudinem causae formalis vera est, et est sensus: secundum similitudinem vel dissimilitudinem etc. hoc est

similitudo vel dissimilitudo est causa formalis similitudinis vel dissimilitudinis, et hoc est verum, quia regula est quod omne abstractum est causa formalis sui concreti. Si dicat habitudinem causae efficientis, falsa est, et est sensus: secundum similitudinem vel dissimilitudinem etc., hoc est similitudo et dissimilitudo est causa efficiens similitudinis vel dissimilitudinis, et hoc est falsum.

Aliud exemplum facilius possumus habere sic: 'quicquid est de Anglia est terra vel lapis; sed ille pannus est de Anglia; ergo est terra vel lapis'. Si haec praepositio 'de' dicat habitudinem causae materialis, prima est vera, si habitudinam causae localis, falsa est. Similiter hic: 'Quicquid est de monte Martyrio est terra vel lapis'.

Similiter hic: 'tu non comedisti nisi cum socio, sed tu comedisti cum cochliari, ergo cochliar est socius tuus'. Dicendum quod praepositio 'cum' potest dicere habitudinem causae associationis, et sic maior est vera; si habitudinem causae instrumentalis, falsa est. Econverso est in minori.

Similiter dicit quod haec praepositio 'in' per prius dicit habitudinem localem, per posterius omnes alias habitudines, secundum modos essendi in, quod per prius dicitur esse aliquid in altero ut in loco.

Et haec est sententia lectionis in generali et in speciali.

Primo nota quod nomen aequivocum potest esse aequivocum dupliciter: aut a casu, at a consilio. Illud nomen dicitur aequivocum <a casu> quod est impositum ad significandum aliquid ab uno et est impositum ad significandum aliud ab alio, ut hoc nomen 'canis', et tale aequivocum significat plura aequaliter, et istud est in prima specie aequivocationis. Sed illud nomen[1] dicitur esse aequivocum a consilio quod est impositum ad significandum aliquid et est impositum ad significandum aliud ab eodem, ut hoc nomen 'expediens', et tale aequivocum significat plura, tamen(?) unum per prius et aliud per posterius, et istud est in secunda specie aequivocationis.

Secundo nota quod aequivocum potest dupliciter considerari: aut quantum ad intellectum rem apprehendentem, et sic nullum nomen est aequivocum, cum intellectus sit simplex. Aut quantum ad vocem significantem, et sic potest esse aequivocum, quia dictio potest significare plura.

Tertio nota quod nomen potest esse aequivocum tribus modis: aut per positionem, ut hoc nomen 'canis'; aut per similitudinem, ut 'animal' dicitur aequivocum propter similitudinem animalis picti ad animal verum; aut per usum, ut Socrates quia de cadavere Socratis in tumba dicimus "Hic iacet Socrates", quia ita usitatus erat vocari quando vivebat.

Quarto nota quod nomen potest significare per prius et per posterius duobus modis: aut quia[2] posterius intelligatur per naturam prioris, et sic hoc nomen 'expediens' est aequivocum; aut quia non intelligatur posterius per naturam prioris, et sic non est tale nomen, ut 'substantia' per prius significat materiam, et per posterius formam, sed non significat formam per naturam materiae.

<- V> Quaestio est utrum aliqua dictio sit aequivoca. Et videtur quod non:

---

1. nomen] verum T.
2. quia] quod T.

1. Unius rei una est perfectio; sed significatio dictionis est perfectio suae vocis, et vox est una; ergo significatum est unum; quare nulla dictio est aequivoca.

2. Ad idem. Dicit Boethius quod termino semel sumpto non est utendum aequivoce; sed ille terminus 'canis' semel sumitur; ergo non est aequivocus.

3. Praeterea. Quando aliquid comparatur ad aliud per aliquod medium comparatur ad illud secundum possibilitatem illius medii; sed significatio comparatur ad vocem per intellectum; ergo comparatur ad ipsam secundum posssibilitatem intellectus. Sed intellectus est simplex et non potest plura comprehendere; ergo dictio sive vox simplex erit, quare[1] non poterit plura significare, et sic nulla dictio erit aequivoca.

Solutio.

<*Ad 1*> Ad primum. Quando tu dicis "Unius rei una est perfectio", verum est — essentialis; sed accidentalis potest esse multiplex, quare non valet.

<*Ad 2*> Ad secundum. Quando tu dicis "Termino /T33vA/ semel sumpto", verum est — una apprehensione; sed diversis apprehensionibus potest plura significare.

<*Ad 3*> Ad tertium. Cum tu dicis quod aliquid comparatur ad aliud[2] etc., dicendum quod intellectus apprehensione una est simplex, sed multis apprehensionibus potest esse multiplex e<t> plura apprehendere. Quare non valet.

<7.34> NOTANDUM QUOD HAEC PRAEPOSITIO 'IN' etc.

Superius Auctor dixit quod haec propositio 'in' non aequaliter significat omnes alias habitudines a locali. In hac parte ponit unum notabile gratia illius. [...]

Modo sciendum est extra Litteram quod quattuor sunt humores in corpore, sc. phlegma, sanguis, cholera, melancholia [.../T33vB/...]

Sequitur alia in qua determinat de ultima specie aequivocationis scilicet de tertia, et dicit quod tertia species aequivocationis est ex diversa dictionis consignificatione <7.36>, ut quando aliqua consignificat accidentia, ut patet in illis participiis 'sedens', 'laborans', quia possunt consignificare praesens tempus vel praeteritum imperfectum, et potest sic formari paralogismus: 'Quicumque sanabatur sanus est, laborans sanabatur, ergo laborans sanus est'. Minor et conclusio sunt distinguendae, quia si 'laborans' significat laborantem nunc, vera est et est sensus "laborans nunc sanabatur tunc", et hoc potest esse verum. Si consignificet laborantem tunc. falsa est et est sensus "laborans tunc sanabatur tunc", et hoc est falsum, quia sic esset sanus et aeger in eodem tempore, quod est impossibile. Econverso erit de conclusione, quia si 'laborans' significat praesens tempus, falsa est et est sensus: laborans in praesenti, sanus est in eodem praesenti, et est falsum, quia nemo potest esse sanus et aeger in eodem tempore; si 'laborans' significat praeteritum imperfectum vera est et est sensus "laborans in praeterito sanus est modo", et hoc est verum. Recte(!) eodem modo de hoc participio 'sedens', et eodem modo formandus paralogismus et confirmat hoc per Aristotelem in libro Elenchorum qui dicit[3] "n[tur]am laborantem qui<d>libet", hoc est quod hoc participium potest "facere", hoc est quando adiungitur verbo, ut 'sedens' 'surgebat' habenti activam vocem, "aut pati", hoc est quando adiungitur verbo habenti passivam

1. quare] quia T.
2. aliud] aliquod(?) T.
3. Arist. SE 4.166a2-3 (AL VI: 8.22-23).

vocem, ut 'laborans sanabatur' "non significat unum" sed plura. Similiter dicit Priscianus in illo capitulo[1] "De 'tu' quoque etc." quod participium in -ans vel in -ens consignificat praesens et praeteritum imperfectum.

Alia exempla possunt haberi ad hanc speciem sic: 'quicumque legit loquitur, Aristoteles legit, ergo \Aristoteles/ loquitur'; sensus patet, quia hoc verbum 'legit' potest esse praesentis temporis vel praeteriti. Similiter hic 'omnis sacerdos celebrat, mulier est sacerdos, ergo mulier celebrat'; sensus patet, quia 'sacerdos' potest esse masculini generis vel feminini. Similiter hic: 'omnis civis est mas(), mulier est civis, ergo mulier est mas(); sensus patet. Et haec <est> sententia lectionis huius in generali et in speciali. [.../T 34vA/...]

<7.47> TERTIA SPECIES AMPHIBOLIAE etc.[... /T35rA/ ...]

≠ V 56rB-vA> Item videtur quod haec oratio 'scit saeculum' sit incongrua, quia dicit Priscianus quod quando verbum tertiae persone ponitur sine supposito, nisi sit verbum exceptae actionis vel verbum impersonale, est ibi incongruitas. Sed 'scit' non est verbum exceptae actionis nec impersonale. Ergo est incongrua. Propter hoc notandum quod duplex est suppositum, expressum et subintellectum. Dico quod in hac dictione 'scit' est suppositum subintellectum et non expressum, scilicet aliquis homo, et ratio quare subintelligitur hic aliquis homo, quia ille actus "scire" solum pertinet ad animal rationale.

<- V> Quaestio est utrum deceptio ex diversitate casus faciat amphiboliam. Et videtur quod non, sed aequivocationem. Alexander commentator supra librum Elenchorum capitulo de aequivocatione dicit[2] quod significatio sumitur largo modo ad significationem et consignificationem, et facit ibi talem paralogismum: 'quaecumque sunt pulcra alba sunt plura sed illa mulier est pulcra alba, ergo illa mulier est plura', et dicit quod ibi est fallacia aequivocationis ex diversitate casus et numeri quia 'alba' in maiori propositione est neutri generis et numeri pluralis, in minori est feminini generis et numeri singularis. Ex istis arguo sic: sicut casus est principium construendi dictionem cum dictione, ita genus et numerus; sed diversitas generis et numeri facit fallaciam aequivocationis, et non amphiboliae; ergo deceptio ex diversitate casus facit fallaciam aequivocationis, et non amphiboliae.

Item, hoc idem videtur per alios magistros qui ponunt istum paralogismum in aequivocatione, sc. 'quicumque sunt grammatici etc.'.

Solutio. Dicendum quod diversitas casus potest dupliciter considerari: aut[3] in comparatione ad vocem per quam diversitas repraesentatur, et sic facit aequivocationem; aut in comparatione ad dictiones constructibiles, et sic facit amphiboliam. [.../T35vA/...]

<7.53> AD MAIOREM TRIUM MODORUM etc. [.../T35vB/...]

<- V> Videamus quid est secundus modus. Secundus modus est quando oratio vel dictio proprie significat unum et transsumptione aliud. †Alio modo ita† quod licet transsumptio fiat apud omnes, non tamen eisdem terminis apud omne. Unde nos Latini

---

1. Prisc. Inst. 17.24.180 (cf. 11.7.25); "De tu quoque" = 17.26.190. Cf. Anon. Monac. SE 17vB "ante illud capitulum "de tu quoque quidam dubitaverunt"".
2. Nihil tale in commentario Ephesii extat.
3. aut] ad T.

utimur transsumptione de isto vocabulo 'videre', certe possibile est quod Graeci non utuntur tali transsumptione. Similiter de ista oratione 'litus aratur'. Et quia scientia debet esse eadem apud omnes et debet determinari de scientia in eis quae sunt eadem apud omnes, †modo† possuisset exemplum de transsumptione apud nos ut in secundo de hac dictione 'videre', forte Graeci non utantur [de] hac dictione transsumptive[1], et si Auctor scisset iam determinasset de eis quae non sunt eadem apud omnes, et scientia debet esse de hiis quae sunt eadem apud omnes, et respiciens hoc Aristoteles non posuit exemplum in tertio modo communi nec de aequivocatione nec <de> amphibolia.

Vel dicendum melius quod significatio dictionis est quae est communiter in usu vel quam usus tenet communiter. Modo si posuisset exemplum de transsumptione dictionis, illa transsumptio per processum temporis posset fieri propria significatio et hoc est quod dicit in Littera <7.54, 113.20> "cum usus inoleverit", hoc est dum consueverit, certe illa transsumptio fit propria significatio dictionis. Unde potest esse quod hoc nomen 'canis' in temporibus transactis significabat proprie animal latrabile et transsumptione piscem marinum et caeleste sidus, et hoc propter aliquam similitudinem, modo potest esse ita quod usus sic consuevit, et per illas tres transsumptiones per processum temporis <illa> ita significat quod sunt de significato speciali. Et hoc considerans Aristoteles non posuit exemplum de secundo modo, quia si posuisset forte illa transsuptio reduceretur ad propriam significationem, et ita secundus modus reduceretur ad propriam significationem, et ita secundus modus reduceretur ad primum; quod est inconveniens. Et haec <est> sententia lectionis in generali et in speciali. [../T36rA/..]

<7.55> ITEM VIDETUR QUOD NON FIAT RECTA DIVISIO

Superius Auctor posuit tres quaestiones et ipsas solvit, in hac parte ponit duas, et secundum hoc praesens lectio dividitur in quattuor partes. [...]

<- V> Sequitur alia quaestio et potest sic introduci: Dictum est superius sic quod deceptio ex quibusdam accidentibus facit aequivocationem, ut patet in istis participiis 'laborans' et 'sedens', et sic datum fuit exemplum de hoc verbo 'legit' ut 'quicumque legit loquitur' etc. Dictum est similiter quod deceptio ex quibusdam accidentibus facit amphiboliam, ut patuit ibi: 'quicumque sunt episcopi sunt homines' etc. Dubitaret aliquis: quaeritur quare deceptio ex quibusdam accentibus facit aequivocationem et similiter deceptio ex quibusdam aliis accidentibus facit amphiboliam <7.56>. Quaeritur quare hoc est.

Et haec est sententia huius partis.

<- V> Sequitur alia in qua solvit et intendit dicere quod quaedam sunt accidentia ut absolutio, ut respectio(!) prout dictio est ordinata cum alia dictione et hoc est prout principium construendi unam dictionem cum alia, ut casus est principium construendi unam dictionem cum alia, ut nomen substantivum cum adiectivo, vel cum verbo, quia casus est inclinatio actus ad substantiam et hoc est in ratione principii vel termini in oratione, ut in ratione principii[2] ut 'Socrates legit', unde male /T36rB/ dicitur 'Socratis legit' vel 'Socratis leget, et talia accidentia sunt principia ordinandi dictionem cum dictione, ut visum est, ut 'Socrates legit'; in ratione termini ut 'video Socratem', et ita

1. transsumptive] transsumptione T.
2. ratione principii] *lectio incertissima.*

patet quod casus est principium construendi unam dictionem cum alia. Et accidentia talia sunt respectiva et faciunt amphiboliam. Sed alia accidentia sunt absoluta quae non sunt principia construendi unam dictionem cum alia, sed absolute insunt dictioni, ut tempus, unde aeque bene video hominem vel vide vel videre et talia sunt accidentia quae faciunt aequivocationem, quia insunt dictioni absolute, et licet tempus varietur semper remanet eadem constructio.

Et haec est sententia huius partis et per consequens totius lectionis.

<= V 58rA> Ad evidentiam huius lectionis primo notandum est quod significatio dupliciter accipitur, large et stricte, large sic quando sumitur pro ipsa re [est] vera vel pro modo rei vel pro modo significandi[1], et sic sumitur in primo modo communi aequivocationis et amphiboliae et definitur sic: "significatio est rei per vocem secundum communem usum loquendi repraesentatio", et hoc modo tertius modus continetur sub primo modo communi. Alio modo sumitur significatio stricto modo, quando stat solum pro ipsa re vera, et sic sumitur in primo modo speciali aequivocationis et definitur sic:[2] "significatio est rei per vocem secundum placitum repraesentatio", et sic tertius modus[3] non continetur sub primo modo communi, et significatio generalis opponitur transumptioni et non consignificationi sed significatio specialis opponitur utrique.

<= V 58rA-B> Item significatum commune vel generale ipsius dictionis potest fieri quinque modis. Aut in diversa significando <ut in hac dictione 'canis'. Secundo modo in diversa consignificando,>[4] ut in hac dictione 'laborans' quae consignificat praesens tempus vel praeteritum. Tertio modo in diversa officia exercendo,[5] ut 'omnes apostoli sunt xii', haec dictio 'omnis' potest teneri collective et sic est vera propositio, i.e. omnes apostoli simul sumpti sunt xii; si divisim, sic est falsa et est sensus "omnes apostoli sunt xii ergo quilibet apostolus xii". Quarto modo potest teneri in diversam[6] materiam inferendo,[7] ut 'omnis homo videt se et quilibet videns ipsum est asinus', posito quod omnis homo videat se solum et Brunellus videat omnem[8] hominem, hoc quod dico 'illum' potest /V 58rB/ referri ad[9] omnem hominem simul et sic est vera, vel aliquem hominem per se et sic est falsa. Quinto modo potest fieri in diversa supponendo ut hic 'homo est species, Socrates est homo, ergo Socrates est species': 'homo' in prima habet suppositionem simplicem, in secunda determinatam, unde est ibi aequivocatio et est ibi fallacia accidentis et est ibi fallacia figurae dictionis. Unde dicit Aristotelis in Elenchis "non est inconveniens plures esse occasiones fallendi in eadem oratione" [consignificante].[10]

---

1. modo significandi] modo significati T : consignificato V.
2. sic] in prima specie aequivocationum *add.* V.
3. modus] specialis *add.* V.
4. ut — consignificando V] *om.* T.
5. exercendo V] construendo T.
6. diversamI divisim T.
7. teneri — inferendo T] potest diversimode respondere V.
8. omnem T] *om.* V.
9. referri ad T] videre V.
10. non — consignificante T] non est inconveniens plures occasiones fallenti(!) in eadem dictione assignare V.

< = V 58rB> Item, videtur quod deceptio ex diversitate temporis faciat amphiboliam, quia significatio verbi est accidens, quia †omnis actus[1] est accidens <et omnis accidens est nomen s.. substantia,† sed tempus est accidens>[2] significato[3] ipsius verbi, ergo tempus est accidens respectu nominis, ergo accidens respectivum; ergo facit amphiboliam et non aequivocationem.

Solutio. Et dico quod ibi est fallacia accidentis sicut hic 'animal est genus, homo[4] est animal, ergo homo est genus', quia esse in nomine[5] est accidens quod[6] significatur utrique inesse, et actus est res subiecta et tempus est accidens quod accidit rei subiectae.

<- V> Item ad idem dicit Auctor in Littera quod significatum et consignificatum possunt simul esse in dictione. Sed contra hoc obicitur ab Aristotele septimo Metaphysicae, quia omnis substantia est prior accidente tribus modis, sc. definitione, cognitione, tempore.

Solutio. Dico quod duplex est accidens. Est enim quoddam accidens quod oritur ex principiis individui, et tale posterius est substantia; et est unum de quinque praedicabilius, illud est quod oritur ex principiis speciei, ut proprium, et tale accidens potest esse in <eodem> tempore cum subiecto. [... T13rB ...]

<7.65> QUIDAM AUTEM DICUNT[7] etc. [.../T13vB/ ...]

<= V 59vB-60rA> Quaeritur utrum eadem oratio possit esse sub diversis speciebus.

Et videtur quod non.

Scribitur in Elenchis quod eadem oratio est composita et divisa; ergo[8] [Dico quod] eadem oratio non potest esse sub diversis speciebus.

Item. Sicut est in natura, ita est in arte; sed in natura ita est quod eadem res sub eadem materia non potest esse sub diversis speciebus, ut materia hominis non potest esse sub specie hominis et asini sed solum sub specie hominis; ergo videtur quod eadem oratio secundum materiam non potest esse sub diversis speciebus.

Solutio. [et] Dico quod eadem oratio potest esse sub diversis speciebus.

Et ad primum dico quod idem[9] in quantum idem manens[10] idem non potest esse sub diversis speciebus, sed idem in quantum idem non manens idem potest esse sub diversis speciebus. Et sic patet qualiter intelligitur illa ratio. [...]

<7.68> COMPOSITIONIS DUO SUNT MODI etc

---

1. actus V] accentus T.
2. et — accidens V] *om.* T.
3. significato V] significativum T.
4. homo] ergo T.
5. nomine V] hominem T.
6. quod] quia T.
7. dicunt] distinguunt T.
8. ergo V] solutio T.
9. idem] illud T.
10. manens] materia non est T.

<= V 60rB> Circa istam lectionem[1] notandum quod 'dictum' tripliciter accipitur. Uno modo dicitur 'dictum' omne[2] illud quod profertur ab ore, quicquid sit[3] illud. Alio modo idem est quod affimatio[4] ut 'tu dixisti', id est "affirmasti". Alio modo idem est quod accusativus cum verbo infinitivi modi, et hoc modo sumitur hic.[5]

Item, nota[6] quod res dicitur quinque modis. Uno modo dicitur res quiquid per vocem significatur, cum dicitur 'voces sunt signa rerum'. Alio modo res propositionis est cum dicitur 'res subiecti' vel 'praedicati',[7] secundum quod dicitur 'ab eo quod res est vel non est oratio vera vel falsa dicitur'.[8] Alio modo idem est quod ens, secundum quod[9] dicitur 'quattuor sunt nomina transcendentia, sc. res et ens et unum et aliquid'.[10] Alio modo dicitur 'dictum' res[11] propositionis, ut in Praedicamentis "res est causa veritatis [12]orationis factae[13] de ipsa re",[14] ut Socratem currere est res huius propositionis[15] 'Socrates currit'. Alio modo res est pars dicti. Et sic sumitur hic.[16]

<= V 60rB-vA> Item.[17] Videtur quod primus modus fallaciae[18] non sit, quia inter antecedens et consequens non cadit distinctio; sed totum dictum est antecedens ad partem; ergo inter dictum et partem non cadit distinctio. Quare primus modus non erit.

Item. Regula[19] est in obligationibus quod pars non supposit pro toto nec econverso; ergo dictum non poterit[20] supponere pro se toto nec pro sui parte;[21] quare etc.

Solutio. Dicendum est ad oppositum[22] quod dictum et sua pars potest dupliciter considerari, aut in se, et sic inter ipsa non[23] cadit distinctio; aut potest considerari

---

1. circa — lectionem T] *om.* V
2. omne T] esse V.
3. quicquid sit T] quod non fuit V.
4. affirmatio T] affirmativum V.
5. hoc modo sumitur hic] hoc modo sumitur T : sic accipitur hic V.
6. nota V] *om.* T.
7. res — praedicati T] est res propositionis ut res subiecti et praedicati V.
8. oratio — dicitur T] dicitur vera vel falsa V.
9. ens secundum quod T] entis sed tum V.
10. ens — aliquid T] termini ens et unum et aliud V.
11. dicitur dictum res T] dictum V.
12. veritatis orationis V] *ord. inv. T.*
13. veritatis orationis factae] orationis veritatis factae T : veritatis orationis facta V.
14. re] est pars dicti et sic sumitur hic *add.* V.
15. huius propositionis T] propositionis huius V.
16. pars dicti et sic sumitur hic T] *om.* V *(sed cf. annotationem ad* ipsa re *paullo superius.*
17. item T] *om.* V.
18. fallaciae] T] *om.* V.
19. regula] ratio T; non V.
20. poterit T] potest V.
21. pro se toto — sui parte T] pro parte sumi nec econverso V.
22. dicendum est ad oppositum T] et dico ad primum V.
23. non V] om. T.

quantum ad istum actum qui[1] est supponere, et sic dictum potest supponere pro se toto vel pro sui parte[2] respectu alicuius praedicati.

Ad aliud dico quod tu aequivocas <de> supponere,[3] quia in obligationibus accipitur supponere pro[4] stare propositione facta, ut si ponatur quod tota domus sit alba, non potest poni paries pro tota domo[5] nec econverso. Sed hic[6] sumitur 'supponere' pro supposito alicuius praedicati vel[7] alicuius verbi. Et sic patet qualiter aequivoce supponere potest dici(?).[8]

<= V 60vA, ubi vide.> Item quaero utrum oratio secundum compositionem sit multiplex. [...]

<7.68> SECUNDUS AUTEM MODUS COMPOSITIONIS etc. [... /T14rA/ ...]

<=V 60vB-61rA> Circa istam lectionem notandum quod secundus modus potest fieri dupliciter: aut[9] quando aliqua determinatio <est> diversorum, ut patet in Littera; aut quando aliqua determinatio[10] est determinatio huiusmodi[11], et hoc tripliciter[12]: aut quando aliquid[13] determinat ratione substantiae[14] vel qualitatis, ut 'homo albus disgregans (vel:[15] album disgregans) est hic intus'. Si[16] haec determinatio 'disgregans' determinat hoc nomen quod est 'albus' ratione substantiae, falsa est quia res alba[17] non disgregat; si autem ratione qualitatis, sic est vera, quia est sensus "albedo disgregans est hic intus". Item, nota quod quando aliquid determinat verbum ratione verbi rei vel ratione compositionis, ut hic 'omnis homo de necessitate est animal': si 'de necessitate' determinat verbum ratione rei verbi, falsa est, et est sensus "homo est ens[18] animal de necessitate. Si gratia compositionis, sic vera est, et est sensus quod compositio hominis cum animali est necessaria.

Alio[19] modo potest fieri quando dictio[20] exclusiva potest facere exclusionem[21] ratione materiae vel ratione formae, ut hic 'tantum unum est'. Si hoc quod dico

---

1. istum actum qui] istum actum quod T : hunc actum qui V.
2. parte sui T] sui parte V.
3. tu — quia] tu aequivocas suppponere quia T : in aequivocatione est supponere V.
4. supponere pro V] *ord. inv.* T.
5. poni paries pro tota domo T] praedicari paries de domo vel pro toto(!) domo V.
6. hic T] *om.* V.
7. vel T] *om.* V.
8. aequivoce — dici(?) T] aequivocatio supponere potest V.
9. aut] ut TV.
10. <est> — determinatio] *om. V.*
11. huiusmodi T] huius V.
12. tripliciter T] dupliciter V.
13. aliquid V] aliquid T.
14. substantiae V] subiecti T.
15. vel] ut T; *def.* V.
16. Si] sed T; sc. V.
17. alba V] ali()a T.
18. ens *habent* TV, *sed in T expunctum est.*
19. alio V] *om.* T.
20. dictio V] de T.
21. exclusionem V] excluse T.

'tantum' faciat exclusionem ratione materiae, vera est et est sensus: 'tantum unum est'[1] <id est "***">. Si ratione formae, falsa, et est sensus 'tantum unum est' <id est> "tantum unitas est",[2] quod falsum est.

Item, determinatio est dupliciter: nominalis ut 'albus', adverbialis ut adverbium ut 'Socrates currit velociter'. Aut quando aliquid ponitur loco adverbii, ut hic 'omnis homo de necessitate est animal' li 'de necessitate' aequipollet adverbiali determinationi, quia dicit Priscianus quod praepositio adiuncta suo casuali aequipollet[3] adverbio.

Tertio quando ablativus ponitur solum, ut 'tango manu percussum'.[4]

Sed videtur quod aliquid non possit esse determinatio diversorum, quia sicut se habet anima ad corpus, ita se habet determinatio ad determinabile; sed una anima non potest perficere plura corpora; ergo una determinatio non poterit determinare plura determinabilia.

Item. Omne infinitum appetit finitari; inventa aliqua finitate quiescit eius infinitatio; sed determinatio est infinita quaerens finitari; ergo invento uno determinabili erit finita; ergo non determinabit plura.

Item. Omne movens quiescit naturaliter invento termino; sed determinatio est movens; ergo invento uno determinabili quiescit.

Solutio. Dico ad primum quod est simile in omnibus, licet in hoc quia sicut ex corpore et anima fit unum, ita ex determinatione et determinabili; sed est dissimilitudo,[5] quia anima est perfectio corporis, sed determinatio non est perfectio determinabilis, sed econverso. Quare non est simile.

Ad aliud dico quod postquam determinatio aliqua unum determinabile determinat non potest determinare aliud, sed prius intellectus potest †determinare† ipsa cum uno determinabili vel cum altero[6], sicut si essent duo homines et ego vellem dare eis denarium /T14rB/ possem dare uni vel alteri;[7] tamen postquam dedissem uni, numquam possem postea dare alteri.[8]

Ad aliud solvitur eodem modo. Sed dubium est quia ipse dicit in Littera quod hic est fallacia compositionis 'litteras quas scit discere nunc est possibile' †oportet(?) ergo necessario(?) in sensu†[9] compositionis ex quo est vera in uno sensu et falsa in alio, sed falsa est quando hoc quod dico 'nunc' determinat hoc verbum 'discere', quare non erit composita, et ita est divisa, quando ordinatur cum hoc quod dico 'est', quod recte videtur contrarium ei quod dixerat superius, nam hoc verbum 'est' est principalius verbum tunc quia subiectum tunc quia praedicatum, quod est contra naturam[10] verbi. Quid

---

1. et est — est V] *om. T.*
2. tantum unum — unitas est] tantum unum est T; tantum unitas est V.
3. adverbiali - aequipollet T] *om.* V.
4. tertio — percussum T] *om.* V.
5. dissimilitudo V] similitudo T.
6. altero V] alio [[sive altero]] T.
7. alteri V] alii T.
8. alteri V] alii T.
9. oportet — sensu] oportet(?) primum t()i()a V.
10. tunc1 — naturam T] tamquam subiectum tamen quia p(erson)ae quod est de natura V.

ergo dicatur? †Dicemus non bene semper sustinendo auctoris veritatem,[1]† quia dixit Alexander[2] Commentator quod non omnis qui verum[3] dicit bene exponit, sed ille qui dicit sententiam auctoris,[4] et si dicat sententiam falsam. Et puto quod quamvis verbum substantivum sit principalius verbum dummodo praedicatur in propositione de inesse, tamen verbum infinitivi modi a parte subiecti positum est principalius in modalibus, dicitur enim in regula quod in modalibus verbum subicitur, et hoc est verum de verbo infinitivi modi. Et sic patet solutio.[5]

<7.77> ACCENTUS EST LEX ET REGULA etc.

Superius Auctor determinavit de fallaciis compositionis et divisionis. In hac parte determinat de fallacia accentus. [.../T15rA/...]

<= V 61vB> Item, adhuc potest considerari aut quantum ad principium suae originis, et sic accentus est in syllaba, quia oritur in ipsa; aut ad principium suae manifestationis, et sic est in dictione, quia in dictione manifestatur actus, sicut patet per simile, quia in quodam elemento sunt duae qualitates, quarum una est propria, alia accidentalis, et illa quae est accidentalis nobis est manifesta, ut in aqua frigiditas essentialis, humiditas accidentalis, magis est nobis manifesta, scilicet humiditas quam essentialis, sc. frigiditas. [...]

<7.83> SEQUITUR DE FALLACIA FIGURAE DICTIONIS etc. [../T15vB/..]

<= V 62vB-63rA> *1.1* Quia in Littera dicitur quod quando verbum significat secundum habitum etc., videtur quod male dicat quod significare secundum habitum pertinet ad nomen, et sic sequitur quod verbum esset nomen, quod falsum est.

1.2 Item, nulla pars orationis potest significare simul diversa significata diversarum partium; sed significare per modum habitus pertinet ad nomen, significare per modum actus pertinet ad verbum; ergo verbum non significat utrumque, sc. actum et habitum.

2. Item, quod non inest priori non inest posteriori, ut quod non inest animali non inest homini; hoc verbum 'est' principium est et radix omnium verborum; sed hoc verbum 'est' non significat actum nec habitum; ergo nec alia verba.

3. Probatio quod significet habitum. Dicit Petrus Heliae quod hoc verbum <'est'>[6] significat substantiam cuiuslibet rei; sed substantia uniuscuiusque rei est habitus; ergo significabit habitum.

Sed quod significet solum actum probatio. Dicit Boethius /V 63rA/ supra librum Peri hermeneias quod hoc verbum 'est' est praedicatum quod in se est,[7] quando ponitur per se solum, <et> tunc[8] praedicat esse actuale et non accidentale; ergo significat actum et non habitum.

---

1. Quid — veritatem T] quidem ergo dicam vos. ac bene si dicerem veritatem et verbum sustineret magister unde bene exponeret V.
2. Alexander T] alibi V.
3. qui verum] quod unum V.
4. auctoris] auctorem V; *lectio incerta* V.
5. solutio V] *om.* T.
6. est V] *om.* T.
7. est praedicatum quod in se est T] ponitur in se V.
8. et tunc] tunc T; et tamen V.

<*Ad 1.1*> Ad primum dicendum quod secundum habitum dupliciter potest considerari: aut secundum modum habitus, et tunc esset falsa; vel secundum rem figuratam per modum habitus, et sic verbum potest significare habitum.

<*Ad 1.2*> Ad aliud[1] dicendum quod una pars orationis non potest significare actum ut actum et habitum ut habitum simul, sed eadem pars orationis bene potest significare habitum ut habitum et actum ut actum vel habitum ut rem.

<*Ad 2*> Ad aliud dico quod ibi est fallacia accidentis cum dicitur "Hoc verbum 'est' signififcat substantiam uniuscuiusque et substantia uniuscuiusque est habitus, ergo hoc verbum 'est' significat habitum" sicut hic 'homo est animal, et animal est genus, ergo homo est genus'.

<*Ad 3*> Ad aliud dicendum quod hoc verbum 'est' potest dupliciter considerari: aut prout est †in sermone,[2] et sic praedicat ens actuale,[3] et sic intellexit Boethius, ut 'homo est asinus',[4] quando est in sermone, ut 'homo est animal',[5] et tunc praedicat[6] esse habituale.†

Sed nota quod differentia est inter modum significandi et rem significatam, quia res significata est res existens extra animam, sed modus significandi est modus intelligendi rem(?) ab anima secundum quod aliqua dictio significat masculinae vel femininae. [../T16rB/..]

<7.91> HABITO QUIS MODUS SIGNIFICANDI etc. [../T16vA/..]

<- V> Sequitur alia in qua ponit paralogismum secundum opinionem Aristotelis. Unde Anglici tenent adhuc. Sic formant isti et dicunt sic: 'Musa et poeta terminantur in -a, sed musa est feminini generis, ergo et poeta'. Auctor dicit <7.95, 139.1> quod non est figura dictionis sed fallacia consequentis, et declarat hoc sic: voces possunt dupliciter considerari, aut prout sunt signa rerum secundum quod loquimur[7] de ipsis rebus per voces, unde dicimus 'Iohannes est Parisius', modo loquimur de tali re per talem vocem. Alio modo possunt considerari in se et sic sunt res comprehensae ab ipsa anima, et formatur ex instrumentis naturalibus, et sic sunt res. Tunc dico, si voces in se consideratae in se sunt res, ergo formantur prout sunt res. Tunc dico tertio(?) quando paralogismus fit a parte rei, fallacia est extra dictionem, cum ipsi paralogismi formentur ex parte rei; sed ipsi formant ex parte rei; ergo est fallacia extra dictionem, quia ex parte vocis prout in se consideratur est fallacia in dictione, et tunc est res, ergo faciunt fallaciam extra dictionem et non in dictione, quare[8] non est ibi fallacia figurae dictionis. Haec est sententia huius partis. [../T16vB/..]

Item, notandum quod consequentia necessaria dicitur tribus modis. Quaedam est in debita quantitate et qualitate, et est inter propositiones ad conclusonem, ut 'omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia'. Alia est

---

1. dicendum quod secundum — ad aliud T] *om.* V.
2. in sermone T] secundum nomen V.
3. praedicat ens actuale T] ponitur esse accidentale V.
4. asinus T] animal V, *sed fortasse in* asinus *correxit.*
5. in sermone T] tantum in solutione V.
6. praedicat] potest V.
7. loquimur] lo(quit)ur T.
8. quare] quia T.

inter terminos, et hoc dupliciter: quaedam est termini ad terminum, et haec est localis, ut 'homo currit, ergo animal', locus a specie; alia est inter habitudines causae ad effectum, ut si terra interponatur inter solem et lunam eclipsabitur, quoniam intepositio terrae est causa eclipsis lunae. Unde nota quod duobus ultimis modis opponitur non necessaria consequentiae necessariae[1] et non primo modo. Item nota quod omnis fallacia primo et principaliter peccat contra habitudinem localem, et ex consequenti contra syllogismum. Unde cum dicitur quod non necessarium non peccat contra syllogismum, verum est — primo et principaliter. [.../T20rA/...]

<7.120> SEQUITUR DE FALLACIA SECUNDUM QUID ET SIMPLICITER etc. [../T20rB/..]

<- V> Quaeritur utrum mortuus homo sit homo.

Et videtur quod sic. Dicit Aristoteles quod embryo sive puer prius est animal quam homo quoniam primo habet animam sensitivam quam rationalem; sed embryo in utero materno qui est sine anima rationali et homo, ut probabo; ergo sine anima rationali est homo, et sic homo mortuus est homo. Quod embryo in utero materno sit homo probatio. Dicit Aristoteles quod embryo in utero materno prius habeat animam sensitivam quam rationalem, et sic est animal. Ex hoc arguo: Quicquid /T20vA/ est in genere est in aliqua eius specie; sed embryo est sub genere, sc. animal(is), ergo est sub aliqua eius specie. Dicendum quod sic, sed non est asinus neque leo et sic de aliis, et sic erit homo; et sic patet quod anima rationalis non facit ad constitutionem hominis. Et si hoc, pari ratione recedente anima rationali remanebit homo, et sic mortuus homo erit homo.

Item, ad idem. Sicut anima est de integritate hominis, ita corpus; sed corpus non est necessarium ad constitutionem hominis, ut probabo; ergo nec anima rationalis; ergo sine anima rationali erit homo. Quod corpus non sit necessarium ad constitutionem hominis patet, quoniam corpus fit ex semine patris et matris, et semen sic definitur ab Aristotele in quarto Meteorum[2]: "semen est superfluum ultimi digesti", et sic corpus est superfluum; ergo corpus non est necessarium ad constitutionem hominis, ergo nec anima rationalis, ergo homo sine anima erit homo.

Solutio. Dicendum quod homo mortuus non est homo.

Ad primum argumentum dicendum(?). Cum dicitur quod embryo in utero materno est animal et quicquid est in genere est in aliqua eius specie, sed embryo non est quid completum sed potius incompletum, quia anima sensitiva non perficit embryonem †quam† adhuc expetat ulteriorem formam, sc. animam rationalem. Aliter enim est animal sensitiva in embryone et aliter in animali bruto, quoniam in bruto est tamquam perfectio et completio.

Quidam autem volunt dicere quod quamvis embryo in utero materno sine anima rationali sit animal, non propter hoc sequitur quod homo recedente anima rationali sit animal, quia recedente anima rationali recedit sensitiva.

Similiter ad aliud dicendum quod cum dicitur quod corpus sit ex superfluitate etc., dico quod duplex est superfluitas: quaedam ultra necessarium, et sic procedit argumetnusm, et talis superfluitas non est semen; alia est quae derelinquitur ex ultima digestione, et talis supefluitas est semen.

---

1. necessariae] necessaria T.
2. Meteorum] methea()rum T.

< = V 68rB-vA> Videtur quod sequitur 'est homo mortuus, ergo homo', quia ad totum integrale sequitur quaelibet eius pars; sed homo mortuus est totum integrale; ergo sequitur 'est homo mortuus, ergo est homo'.

Item, scribitur in quinto Topicorum quod si contingit aliquem mori non dicimus eum aliam vitam sumere sed per[1] transsumptionem quandam; sed illud quod non sumit aliam vitam retinet illam quam prius habebat; ergo homo mortuus est homo.

Item, si aliquis homo debeat mori, accipi<a>tur ultimum instans in quo anima exit a corpore et vocetur A, et primum instans in quo anima est extra corpus et vocetur B. Quaeritur A B si est unum instans aut diversa. Si dicas quod sunt idem instans, ergo anima est in eodem instanti in corpore et extra corpus. Si dicas quod sunt diversa, sed ut probatur in quinto Topicorum[2] inter quaelibet duo diversa instantia cadit tempus medium; ergo aliquod[3] est tempus in quo anima nec est in corpore nec est extra corpus, quod est impossibile.

Solutio. Et dico ad primum quod homo mortuus potest dupliciter considerari: aut materialiter, et sic bene sequitur 'est homo mortuus, ergo homo'; aut significative, et sic non sequitur.

Ad aliud, quod ibi est fallacia consequentis a propositione habente duas causas veritatis ad unam illarum, quoniam haec propositio "Non dicimus eum aliam etc." duas habet causas veritatis, aut quia non sumit aliam vitam <et amittit †similiter† primam; aut quia[4] non sumit aliam vitam>[5] et retinet primam. Et sic cum fiat talis processus est fallacia consequentis.

Ad aliud dico quia A B sunt diversa instantia, et tu dicis "ergo erit tempus medium", dico quod non valet, quoniam illud habet intellgi quando illa duo instantia mensurantur ab eadem mensura; sed ita non est hic, quia cum anima est in corpore mensuratur ab instanti temporis, sed quando est extra corpus mensuratur ab instanti aevi;[6] [../T21rB/..]

Item, nota, sicut tactum fuit superius in praecedenti lectione sub compendio, quia posset obici sic: quia scientia non dicitur multipliciter, sed ignorantia, obicitur enim sic si unum oppositorum dicitur multipliciter et reliquum; sed ignorantia et scientia sunt opposita, et scientia non dicitur mulipliciter; ergo nec ignorantia.

Iam patet solutio, quia in isto argumento et in omnibus aliis est duplex via cognoscendi, sc. intellectiva et sensitiva. Unde in quibusdam probatur minus notum per magis notum secundum viam intellectivan, aliquando secundum viam sentitivvam, ut quando probatur minus notum per magis notum, respondendum per viam illam per quam probatur universale, sive sit intellectiva sive sensitiva, respectu illius bonum est argumentum et idem argumentum respectu alterius viae pessimum. Verbi gratia, si ego vellem probare quod Socrates currat et probatur sic: 'omnis homo currit, ergo Socrates

---

1. sed per] secundum V; *an* nisi per *scribendum?*
2. Topicorum T] Physicorum V.
3. aliquod] aliud T.
4. quia] quod V; *def.* T.
5. et - vitam V *in mg.*] *om.* T *et* V *a.c.*
6. instanti temporis — aevi V] eo instanti T.

currit', dico quod illud argumentum est bonum secundum viam intellectivam et probatur minus notum per magis notum, quoniam particulare sive singulare per universale, et in via sensitiva universale est minus notum quam singulare. Si vero probetur secundum viam sensitivam, est pessimum argumentum, quoniam non probatur magis notum per minus notum, sed potius econverso, et ideo est fallacia, quia in omni bono argumento debet probari minus notum per magis notum. [../T22rA/..]

<7.150> CONSEQUENTIARUM etc. [...] /T22rB/ [...]

Quarta regula talis: Aristoteles in libro Elenchorum ubi dat generalem solutionem paralogismorum consequentis ponit ibi esse duplicem consequentiam, sc. simplicem et compositam, ut visum est superius; ergo illa fallacia fit quando credimus consequentiam converti quae non convertitur; quare oportet quod sint ibi duae consequentiae, sc. illa quae convertitur et illa quae non convertitur. Et dicit Auctor quod omnia illa concedimus, et addit in [in] fine quod cum dico 'animal currit, ergo homo currit' quod ibi non est fallacia consequentis sed accidentis. Sed debemus addere minorem sic: 'animal currit, homo est animal, ergo homo currit'; hic est fallacia accidentis, quia animal est res subiecta et homo est accidens rei subicetae et currit est accidens quod assignatur inesse utrique.

Hic multi dicunt Magistrum errasse dupliciter †quod sic dicendum† 'animal currit, ergo homo currit' quod ibi non est fallacia consequentis.

Haec est sententia lectionis in generali et in speciali.

<= V 70vA; ubi vide> Notandum quod consequentia est dupliciter: naturalis et accidentalis; vel tripliciter: quando ex impossibili sequitur quidlibet, ut 'si tu es asinus, tu es capra'; aut quando ad necessariam sequitur quidlibet, ut 'si tu es, hic deus est'; tertio quando tenet consequentia gratia materiae, ut 'si tu es hic, deus et ubique.' [...] ut patet in Littera. [...] /T24rA/

<7.183> CONSEQUENTER REDUCIT[UR] etc. [...]

<- V> Vel sic potest declarari quod consequens sit pars fallaciae[1] accidentis, quia dicit Alexander Commentator super librum Elenchorum[2] quod fallacia accidentis dicitur cum non ex necessario sequitur conclusio, et fallacia consequentis dicitur quando non necessario sequitur conclusio econverso. Unde <quod> fallacia <consequentis> addit supra fallaciam accidentis, hoc est fieri econverso, quare[3] est pars accidentis, quia nos habemus regulam in locis quod quando aliquid addit supra aliquid quod tunc illud quod addit est pars in modo respectu alterius, ut patet quia homo albus est pars in modo huius quod dico homo, et sic est in proposito, quia consequens addit supra accidens hoc quod dico econverso, quare[4] consequens est pars accidentis. [...]

<*Tractatus VIII de relativis*> T 24rB-vB + 49rA-50rB

<*Tractatus IX-X. De ampliationibus et appellationibus*> T 50rB-50vB

Superius Auctor determinavit de septima proprietate terminorum, in hac parte determinat de alia, sc. de ampliatione. [.. /T50vA/ ..]

---

1. pars fallaciae] *inv. T.*
2. Cf. Michaelis Ephesii in SE comm. 48.3-4, 62.13-63.2
3. quare] quia T.
4. quare] quia T.

<9.4> <- V> Sequitur quarta in qua ponit sive quaerit unum sophisma iuxta praedicta, est est illud IMPOSSIBILE POTEST ESSE VERUM.

Probatio. Illud quod est vel erit impossibile potest esse verum, ut Antichristum non fuisse post tempus suum postquam erit erit impossibile, et modo est verum; ergo impossible potest esse verum.

Sed contra. Quicquid potest esse verum est possibile; sed impossibile potest esse verum; ergo impossibile est possibile. Quod est falsum; ergo aliqua praemissarum; non minor, ergo maior; quare haec est impossibilis 'impossible potest esse verum'.

Unde dicendum ad sophisma quod maior[1] simpliciter est falsa, sc.[2] 'impossible potest esse verum. Reducamus ad syllogismum probantem, et tunc videbimus melius quid est res subiecta vel accidens rei subiectae vel accidens quod assignatur utrique, quia Magister solum facit enthymema. Et dicam sic: 'Illud quod est vel erit impossibile potest esse verum; sed impossibile est illud quod est vel quod erit impossibile; ergo impossibile potest esse verum'. Dicendum quod hic est fallacia accidentis, quia 'id quod est vel erit impossibile' est medius terminus et ita res subiecta; et 'impossibile' in minori est accidens rei subiectae, quia est minor extremitas; et 'potest esse verum' est accidens quod assignatur utrique inesse. [.../T50vB/...]

<= V 75rA> Item quaedam sunt verba [...] et sic intelligendum est de aliis.

<Cf. V 75rA> \Quaestio est utrum ampliatio sit./

Videtur quod ampliatio non sit. Et hoc sic:

1. Ampliatio est extensio a minore suppositionem ad maiorem. Sed terminus communis extra orationem ut 'homo' potest stare pro praesentibus, praeteritis et futuris, sed cum est in oratione non stat nisi pro <prae>sentibus et futuris [pro praesentibus]; ergo etc.

2. Item ad idem. Nullum agens vilius potest agere in nobilius. Sed verbum est agens vilius, quam sit nomen. Ergo non potest ipsum ampliare.

3. Item ad idem. Dicit Boethius quod talia sunt praedicata qualia permiserunt esse subiecta, ut cum dicitur 'deus est bonus', illud praedicatum 'bonus' est ibi sicut subiecum, quoniam in Deo nullum accidens acquiritur. Sed cum dicitur 'homo est bonus', modo istud praedicatum \'bonus'/ est accidentale. Ex hoc arguo cum <terminus> communis per se supponit pro praesentibus, praeteritis, et futuris, ergo praedicata stabunt pro illis non autem ampliabunt praedicata, ergo videtur quod ampliatio non sit.

Solutio. Dicendum quod ampliatio est. <***> quod terminus communis potest considerari dupliciter, aut quantum ad suppositionem quam habet extra dictionem et sic non ampliatur; aut quantum ad suppositionem quam habet in oratione, et sic potest ampliari cum stat pro praesentibus et ampliatur pro praeteritis et futuris.

<*Ad 1*> Et sic solvitur primum argumentum.

<*Ad 2*> Ad secundum dico quod nomen potest considerari dupliciter aut per se, et sic cum nomen significet substantiam et verbum accidens nomen dignius est verbo. Aut quantum ad orationem, et cum verbum ponatur a parte formae et nomen a parte

---

1. maior] prima *P.H.*, *recte.*
2. sc.] sed **T.**

materiae, et omnis forma in quantum forma dignior est materia, sic verbum dignius est nomine et sic potest agere in nomen.

<*Ad 3*> Vel dicendum quod illa regula habet intelligi in rebus naturalibus.

Ad aliud dicendum cum dicitur talia sunt etc. dico quod illa habet intelligi quantum ad veritatem locutionis[1] quare non valet.

<*Tractatus XI. De restrictionibus*>

<11.1> RESTRICTIO EST COARTATIO etc.

Superius auctor determinavit de tribus proprietatibus terminorum, in hac parte determinat de quarta proprietate, scilicet de restrictione, unde haec pars dividitur in duas partes, in prima determinat de restrictione facta per nomen, in secunda determinat de restrictione facta per verbum. Secunda ibi: Sequitur de restrictione facta per verbum <11.10>.

Adhuc prima dividitur in vii. In prima definit restrictionem, in secunda dividit et ponit duas divisiones, in tertia ponit unam regulam, in quarta aliam, in quinta aliam, in sexta aliam, in septima aliam. Secunda ibi restrictionum alia fit per [pro]nomen <11.2>. Tertia ibi De restrictione facta communiter <11.4>. Quarta ibi De termino restricto <11.6). Quinta ibi De restrictione talis datur regula <11.7>. Sexta ibi De restrictione facta per implicationem <11.8> Septima ibi Item de eadem restrictione <11.9>. Et haec est sententia lectionis in generali.

In speciali sic procedit: definit restrictionem et dicit quod restrictio est coartatio termini communis a maiori suppositione ad minorem, hoc est dictu quando aliquis terminus communis stat pro pluribus et postea additur ei aliquid quod facit ipsum stare pro paucioribus, tunc est ibi restrictio verbi gratia. Cum dico 'homo currit', 'homo' stat hic vel stare potest pro pluribus albis hominibus et pro nigris vel medio colore coloratis. Sed si dicam 'homo albus currit', modo hoc quod dico albus restringit hominem et facit ipsum stare pro hominibus[2] albis. Haec est sententia huius partis.

Sequitur secunda [...] /51rB/ Sequitur sexta [...] Sequitur septima [...] haec est sententia lectionis in generali et in speciali.

<= V 75vA> Notandum quod terminus communis triplicem habet comparationem, unam ad id cui[3] fit impositio et ratione huius inest ei significatio, et quia terminus potest imponi ad significandum tam pro re existente quam non existente, et idcirco potest esse tam de re existente quam non existente. Alia est per comparationem ad illam rem quae significatur per vocem, et quia illa res potest esse simul existens et non existens cum termino, ideo[4] potest supponere tam pro re existente quam non existente. Alia est comparatio ad illam rem a[5] qua est impositio, et quia impositio est a forma, et forma et actus sunt idem, quia[6] praesens, et appellatio sumitur per istam comparationem, ideo terminus solum appellat rem existentem et est differentia inter rem a qua vox imponitur et inter rem †a qua† vox[7] imponitur.

---

1. locutionis] lectionis T.
2. hominibus] omnibus T.
3. cui V] cuius T,
4. simul — ideo] simul existens et non existens in terminis ideo T] similiter existens et non existens ideo terminus V.
5. a V] in T.
6. actus sunt idem quia] accidens sunt idem quia T : actus sunt in idem quod V.
7. est differentia — a qua[2] T] est differentia inter rem *** V.

<= V 75vA> Item, duplex est restrictio, quaedam est ratione significationis et quaedam ratione consignificationis. Ratione consignificationis,[1] ut albus et tunc restringens et restrictum debent uniri immediate et restringens finitat restrictum, sed quando est restrictum ratione consignificationis non oportet quod sint simul neque <quod>[2] restringens finitet restrictum, ut 'homo currit', 'currit' est restringens et non finitat hominem, immo[3] homo finitat cursum, cum actus verbi finitetur per substantiam nominis.

<= V 75vA-B> Item in termino duplex est qualitas, generalis ut cum dicitur 'homo currit', ibi 'homo' significat substantiam cum qualitate; alia est qualitas specialis ut cum dicitur 'homo albus currit', 'albus' significat puram qualitatem, quia est nomen, et aliud significat, quia[4] albedinem. Unde ratione qualitatis generalis habet constructionem cum homine, sed ratione qualitatis specialis restringit hominem.

<= V 75vB> Item notandum[5] quod sicut oratio[6] est dupliciter eo quod implicatio[7] potest praecedere signum vel[8] econverso, sicut[9] omnis oratio[10] est dupliciter in qua ponuntur duae dictiones syncategorematicae, ut[11] 'omne[12] verum et deum esse differunt', si[13] hoc quod dico et[14] praecedit hoc signum omne[15], tunc prius restringitur li signum[16] ut stet pro aliis veris a deo esse, quia[17] quando aliquid[18] ab aliquo excluditur[19] amplius in eo non intelligatur[20]. Adveniente ergo signo universali[21] distribuitur pro hiis ad[22] quae restringitur, et est sensus: "omne verum aliud[23] verum a deo esse et deum esse differunt". Si[24] autem hoc[25] signum omne[26]

---

1. ratione consignificationis *alterum* V] *om. T.*
2. simul neque quod V] similiter neque T.
3. immo] ideo T; *def.* V.
4. aliud significat quia] nomen et aliud significat quia T : significat ad quam V.
5. notandum] nota V.
6. oratio] concretum V.
7. implicatio] implicitam V.
8. er] et V.
9. sic V.
10. constructio V.
11. syncategorematicae ut: verbi gratia V.
12. omne] est V.
13. si] sed V.
14. et] est V.
15. omne] omnis V.
16. li signum] ienorum V.
17. quia] *om.* V.
18. aliquid] aliquis T.
19. excluditur] exprimitur V.
20. intelligitur] intelligitur V.
21. universali V] unde T.
22. ad] *om.* V.
23. verum aliud] *inv.* V.
24. si] sed V.
25. autem hoc] hoc aut hoc V.
26. omne] suum V.

praecedit hoc quod dico et, tunc prius distribuitur nomen[1] quam restringatur et significatur[2] quod omne[3] verum differat a deo esse, et ita supponitur quod deum esse differat a se. Quod autem dicitur signo[4] adveniente[5] dicendum quod[6] hoc est intelligendum quantum ad intellectum vel quantum ad generationem sermonis, quae fit ab intellectu, non quantum ad vocem prolatam[7] vel generatam.

<= V 75vB-76rA> Quaeritur de hoc quod dicitur[8] in Littera, quod cum[9] dicitur sic[10] 'homo albus currit', hoc quod dico 'albus' restringit istum terminum[11]) homo ad supponendum pro albis[12]. Sed videtur esse falsum, quia nullum accidentale variat[13] suum esse[14] essentiale, cum ipsi homini supponere pro albis[15] etiam sit et non pro albis et[16] medio colore coloratis et accidentale est quod adiungitur ei album, ergo non variabit ipsum, seu[17] restringet ut supponat tantum modo pro albis[18].

Item ad idem. Omne agens dignius est suo patiente. Sed restringens est agens et restrictum est[19] patiens, ergo restringens dignius est restricto. Sed nullum adiectivum dignius est[20] substantivo, sed album est adiectivum, et homo est[21] substantivum, ergo albus[22] non restringet[23] istum terminum homo ut[24] supponat pro albo.

Solutio. Ad primam rationem quando dicit quod nullum[25] accidentale variat suum essentiale, dico quod duplex est accidentale[26] et essentiale, quia unum essentiale[27] est naturale[28] et aliud voluntativum[29] et accidentale eodem modo. Unde haec propositio

---

1. nomen] verum V.
2. significatur V] significatum T.
3. omne] esse T.
4. signum TV.
5. adveniente] adveniendum V
6. dicendum quod] om. V.
7. prolatam] factam V.
8. dicit auctor V.
9. cum] est sic V.
10. sic] *om.* V.
11. istum terminum] hoc quod dico V.
12. albis] albo V.
13. variat] videat V.
14. esse] *om.* V.
15. albis] albo V.
16. etiam sit et non pro albis et] et non album V.
17. seu] sive non V.
18. albis] aliis V
19. est] om. V.
20. est] *om.* V.
21. est] om. V.
22. albus] album V.
23. restringet] restringit V.
24. ut V] nisi T.
25. ad primam — nullum T] et primo ad primum dico quando accidit quando V.
26. variat — accidentale *om.* V.
27. essentiale] *om.* V.
28. naturale V] materiale T.
29. voluntativum] voluntarium V, *et sic deinceps.*

intelligenda est sic: nullum accidentale naturae variat suum essentiale naturae[1], sed accidentale voluntativum[2] variat suum[3] essentiale voluntativum.

Vel aliter[4] dicendum quod albus in quantum est[5] adiectivum non restringit, sed in quantum idem numero.

Ad aliud[6] respondeo eodem modo quod[7] agens naturae[8] dignius est suo patiente[9]. Alio modo agens potest dupliciter considerari, quia est quoddam agens quod significat illa quae significat per dependentiam[10] et hoc modo agens /T51va/ vilius[11] est[12] patiente et sic restringit ipsum. Et est aliud agens quod significat illud quod significat per modum per se stantis, et hoc modo agens dignius est patiente et sic restringit ipsum. Unde[13] agens positive[14] naturae nobilius est agente[15] defective[16] naturae[17] potest esse vilius[18].

<= V 76rA> Et ut melius cognoscatur veritas restrictionis, intelligendum est[19] quod terminus communis duplicia habet supposita, scilicet essentialia et accidentalia, essentialia sunt, ut Socrates et[20] Plato, accidentalia sunt ut hoc[21] album, hoc[22] nigrum,[23] hic sedens. Unde[24] pro certo adiectivum non potest restringere[25] ut stet tantum pro quibusdam suppositis essentialibus, et non[26] potest[27] restringere ad supposita accidentalia, sic dicendo homo est albus[28] et illud, et sic de singulis. Esset enim

---

1. naturae — naturae] naturale — naturale V.
2. accidentale] accidens V. voluntativum] bene *add.* V
3. suum] om. V.
4. aliter] est add V.
5. *est*] om. V.
6. aliud] aliquid V.
7. quod] omne *add.* V.
8. naturae] om. V.
9. patiente] apatiente V.
10. Alio modo agens — dependentiam] *om.* V.
11. vilius] dignius V.
12. est] suo *add.* V.
13. Et est aliud agens — Unde] *om.* V.
14. positive] positione V.
15. agente] om. V.
16. defective] deficiente V.
17. naturae] natura V.
18. vilius V] melius T.
19. intelligendum est] intellige V.
20. et] om. V.
21. hoc] om. V.
22. hoc] et illud nomen V.
23. nigrum] et illud *add.* V.
24. Non] Non unde V.
25. restringere] terminum *add.* V.
26. non] pro aliis *add.* V.
27. potest] tamen *add.* V.
28. idest tantum hoc album add. V.

mirum si terminus[1] posset facere terminum suppositionem communem[2] pro paucioribus quam imponebatur[3] ad significandum, non intelligendum sicut diximus.[4]

<- V> Videtur quod male dicat Auctor [in] quando dicit quod significatio supponit pro existentibus vel pro non existentibus, quoniam vox est imposita ad significandum sine differentia temporis. Ergo debet significare tam pro istis quam pro illis.

Item ad idem. Dicit Aristoteles quod vox incomparabilis non significat esse rei vel non esse sed indifferenter.

Solutio. Vox potest dici significare rem non existentem tripliciter: aut rem non existentem in quantum non existentem, cum voces sint signa passionum quae sunt in anima. Alio modo potest significare rem non esse extra animam existentem, tamen in anima, ut chimaera. Alio et ultimo modo existentiae vel non existentiae indifferenter et hiis duobus modis ultimis significare non ens sumitur in hac parte.

<- V> Item quaeritur utrum dicendo sic 'animal homo' fit nugatio.

Ad hoc dicendum quod animal potest dupliciter considerari, aut in oratione generis generalis, et sic est nugatio, aut prout animal est contractum ad hominem et sic non est nugatio. [.../T51vB/...]

<11.14, - V> Sequitur quarta in qua ponit unum sophisma, et ponit ipsum ratione secundae regulae. Sophisma est tale: OMNE ANIMAL FUIT IN ARCA <NOE

Probatio. Homo fuit in arca,> bos, leo, equus, asinus, et sic de aliis; ergo omne animal fuit in arca Noe.

Sed contra. Omne animal fuit in arca Noe; sed Caesar fuit animal; ergo Caesar fuit in arca Noe. Sed hoc est falsum, ergo aliqua praemissarum; non minor, ergo maior; quare haec est falsa 'omne animal fuit in arca Noe'. [...]

<= V 76rB> Item in verbo duo sunt, scilicet[5] res verbi et compositio, res verbi est actus verbi realis[6] significatus ut in hoc quod dico[7] 'currit' intelligitur[8] cursus. Compositio autem est inclinatio actus ad substantiam. Unde tempus est accidens quod inest[9] verbo ratione rei verbi in se et absolute. Et primo restringit rem verbi, et res verbi restringit compositionem, et compositio restringit extrema, et ita [im]mediate tempus restringit subiectum, et causa[10] huius est quia restringit mediate, sicut patet[11] quod[12] tempus est accidens et accidens non est mediate ipso subiecto immediate. Sic

1. terminus] accidentalis *add.* V.
2. terminum — communem T] suppositum termino V.
3. quod improbatur V.
4. sicut diximus] *om.* V; Et hoc est quod dicit auctor *add.* V, *et sic in* V *finitur capitulum, sequitur 11.10.*
5. scilicet] *om.* V.
6. realis] rationaliter V.
7. dico] om. V.
8. intelligitur] *om.* V.
9. inest] est in V.
10. causa] casus V.
11. sicut patet] *om.* V.
12. quod] quia V.

patet quod[1] tempus restringit primo rem verbi et ita[2] alia, ut dictum est, sed[3] restrictio ratione significationis immediate unitur, quia significatio[4] est essentiale rei[5] significatae[6] in quantum tale ut albedo rei albae, quia bene dicitur 'homo[7] albus currit, iungendo[8] album ad hoc quod dico 'homo'. [.../T52rA/...]

<= V 76vA> Ad aliud dico quod aliquid potest esse <in altero>[9] dupliciter, aut primo et per se, aut ex consequenti. Unde tempus verbi est in subiecto non primo et per se, sed ex consequenti, quia[10] primo inest rei verbi et postea compositioni, et ultimo ipsis extremis.

Ad aliud dico quod illa regula intelligitur de restrictione quae fit ratione significationis, non de illa quae fit consignificationis ratione.

Ad aliud [...]

<11.15> SOLET AUTEM QUAERI etc. [.../T52rB/...]

<= V 77rA, ubi vide> Sed videtur adhuc quod in propositione affirmativa et negativa supponat terminus pro diversis. [...] dictis duabus essentiis.

<Tractatus XII. De distributionibus>

<12.1> DISTRIBUTIO EST MULTIPLICATIO etc. [.../T52vB/...]

<= V 77vA> Ad evidentiam huius lectionis notandum quod dictionum quaedam sunt substanti<v>ae, quaedam adiectivae. Et hae sunt duplices: quaedam significant res veras in se et absolute, ut 'album' et 'nigrum' et vocantur dictiones categorematicae et per se significantes. [../T53rA/..]

<12.7> HABITO QUID SIGNIFICAT HOC SIGNUM 'OMNIS' etc. [../T53vA/..]

<= V 78rB> Item. Nota quod in termino communi tria sunt, sc. essentia, et ratione huius potest praedicari et non potest ei addi signum, quia dicit Aristoteles in libro Peri hermeneias quod omnis propositio est falsa in qua praedicatur universale universaliter sumptum ut 'omnis homo est omne animal'. Secundum est multitudo, et ratione huius †subiectae†[11] potest ei addi signum, ut 'omnis homo est animal'. Tertium est secunda intentio et ratione huius[12] non potest praedicari nec potest ei addi signum, immo omnis talis[13] propositio est falsa, ut 'omnis homo est species'. [../T53vB/..]

---

1. est accidens — quod] *om.* T
2. ita *scripsi*] ita TV.
3. sed] *lectio incerta* T.
4. significatio] signum V.
5. est essentiale rei] *lectio incerta* T.
6. significatae] significare V.
7. homo] *om.* V.
8. iungendo T] negando V.
9. in altero V] *om.* T.
10. verbi ... quia] *om.* V.
11. subiectae T] subicientiae V.
12. ratione huius] tunc TV *(sed in* T *expunctum est).*
13. immo omnis talis] ut omnis homo talis T; immo omnis universalis V.

<12.10> SECUNDUM PRAEDICTA QUAERITUR DE HOC SOPHISMATE 'OMNIS HOMO EST ANIMAL' etc. Superius Auctor disputavit unam quaestionem. In hac parte ponit unum sophisma.[...] In speciali sic procedit: ponit ibi unum sophisma gratia praedictorum, et hoc tale:

<- V> OMNIS HOMO EST [ANIMAL] ET QUILIBET DIFFERENS AB EO EST NON HOMO.

Probatio. Haec est copulativa quaedam cuius utraque pars vera, quare tota vera. Prima pars est vera, sec. haec 'omnis homo est', quia est ibi terminus communis supponen verbo de praesenti, et est sensus "omnis homo qui est est"; et aliqa similiter est vera 'et quilibet differens ab illo, sc. omni homine, est non homo', et hoc est verum.

Sed contra. Omnis homo est et quidlibet differens ab illo est non homo; sed Socrates est ergo quidlibet differens a Socrate est non homo; quod falsum est, quia Plato differt et tamen non est non homo.

Dicitur quod prima simpliciter est vera †tamen iam dicta improbatio est quae est fallacia consequentis et hic† inter ultimas partes copulativarum non inter primas, quia bene sequitur 'omnis homo est, ergo Socrates est', et hic est nullus defectus; ergo removemus partes istas postquam ibi non est defectus. Sed videamus qualiter inter partes ultimas est fallacia consequentis; cum dico 'quidlibet differens ab illo', sc. ab omni homine, unde removemus †regulam† sc. ab illo et loco ipsius ponamus 'omni', ergo quidlibet differens ab omni homine est non homo, quidlibet differens a Socrate est non homo, hic fallacia(?) inter istas. Modo ut melius videamus removemus signum, et tunc in residuo erit bonum argumentum sic: 'differens ab omni homine, ergo differens a Socrate'. Quare regula est quod quando argumentum est bonum cum signo, si signum addatur utrobique, erit fallacia consequentis. Modo ita est quod hoc quod dico 'differens a Socrate' est communius et est in plus, quia plures res differunt a Socrate, ut Plato et Vergilius differunt a Socrate, quam differant ab hoc quod dico 'differens ab omni homine', quia Plato et Vergilius non differunt ab omni homine, est in minus. Modo si ponatur ab utraque est fallacia consequentis sic 'quilibet differens ab omni homine, ergo quilibet differens a Socrate', sicut si dicerem 'homo est, ergo animal est' hic est bonum argumentum, si ponatur signum sic utrobique est fallacia consequentis sic 'omnis homo est, ergo omne animal est', sed est fallacia consequentis. Quare patet quod praedictum sophisma in probatione est fallacia consequentis. Haec est sententia huius partis. [../T54vA/..]

<12.20> <- V> Postea ponit quinque[1] sophismata [...]. Primum est tale:

NULLUM CAPUT HABENS EST QUID CAPUT HABENS.

Et probatur sic: Non hoc caput habens est aliquid caput habens, demonstrato uno; et non illud caput habens est aliquod caput habens, demonstrato alio; /T54vB/ et sic de singulis; ergo nullum caput habens est aliquod caput habens.

Sed contra. Hic praedicatur oppositum de suo opposito, quare prima falsa.

Solutio sicut ad illud sophisma "Nihil videns est aliquid videns" superius dictum est. [...]

<12.22> <- V> Sequitur alia in qua ponit unum sophisma circa praedicta, et est tale AB UTROQUE ISTORUM ENUNTIATUM EST VERUM [...]

---

1. quinque] tria T.

Solutio. Primo solvit Auctor et dicit quod prima simpliciter est vera, et regula potest esse quamvis non dicat in Littera, quando enuntiatum stat in sui communitate cum sit in praedicato, et sic in propositione universali affirmativa habet suppositionem simplicem secundum opinionem Magistri[1] vel confusam immobilem secundum opinionem aliorum, et ita cum stet pro illo dicto determinato quod dicitur ab ambobus, dico quod est vera. Et dicit quod in propositione peccat secundum fallaciam figurae dictionis ex variata suppositione et ponit multa exempla in Littera, sed unum sufficiat: tum dico sic 'omnium oppositorum eadem est disciplina', haec propositio ponitur esse ut amborum, tunc dico sic: Omnium contrariorum eadem [eadem] discipina, sed nulla disciplina nisi haec vel illa, et sic de singulis; ergo omnium oppositorum eadem est disciplina. Dicendum quod ibi et fallacia figurae dictionis, quia in prima propositione habet suppositionem simplicem secundum opinionem magistri Petri Hispani, vel confusam <im>mobilem secundum opinionem illorum, et ita stat in communi et non stat in prima propositione pro[2] singulari disciplina†, sed in secunda propositione disiunctim habet suppositionem confusam mobilem, quia praecedit signum universale negativum, ita stat pro singularibus disciplinis, et ita mutatur suppositio simplex in confusam mobilem, et per consequens mutatur quale quid in hoc aliquid, quare est ibi fallacia figurae dictionis, et hoc in tertio modo. Similiter in proposito, cum dico 'ab utroque istorum enuntiatum est verum' hoc quod dico 'enuntiatum' stat ibi in communi cum habeat suppositionem simplicem secundum magistrum Petrum Hispanum, vel confusam <im>mobilem secundum opinionem aliorum, cum stet pro illo dicto determinato quod dicitur ab[3] ambobus. Sed cum dico in probatione 'sed nihil est enuntiatum ab utroque istorum nisi hominem esse asinum', dicit quod in ista hoc quod dico 'enuntiatum' habet suppositionem confusam mobilem, quia praecedit signum universale negativum, et ita stat pro multis, quia pro singularibus. Ita patet quod mutatur suppositio, cum in prima habeat simplicem et in secunda ista habet confusam mobilem, et sic mutatur quale quid in hoc aliquid, quare est ibi fallacia figurae dictionis in tertio modo. Plures libri habent quod ibi est fallacia accidentis et potest esse hoc quod dico 'ab utroque istorum enuntiatum est verum' totum hoc est res subiecta, et 'hominem esse asinum' est accidens rei subiectae, et 'esse verum' est accidens quod assignatur inesse utrique, et primo assignatur rei subiectae ... cum dico 'ab utroque istorum enuntiatum est verum', et postea assignatur accidenti eius in conclusione cum dico 'ergo omnem hominem esse asinum est verum', semper est ibi fallacia /T55rA/ accidentis. Haec est sententia huius partis.

Sequitur alia in qua solvit secundum opinionem aliorum [...T 56vB ...]

Expliciunt glosulae compositae a magistro R. Anglico
super tractatus magistri P. Hispani extractae a tota logica nova et veteri.
Deo gratias.

---

1. magistri] magistrorum T.
2. in prima propositione pro] propria opinione cum T.
3. ab] in T.